Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Wilhelm Baumer

Fundamenta Politiae Medicae : Cum Annexo Catalogo Commodae Pharmacopoliorum Visitationi Inserviente In Usum Auditorum Posita

Francofurti Et Lipsiae: In Officina Fleischeriana, MDCCLXXVII

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1777158613

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1777158613/phys_0001
DFG

J. Ct. ~~Mlle 5.~~
28. 11.

Ex
Bibliotheca
D. Aug. Gottl.
Weber.
Hallensis.

~~J. d. 3076.~~
Mc_1164.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1777158613/phys_0002
DFG

FUNDAMENTA
POLITIAE MEDICAE

CUM

ANNEXO CATALOGO
COMMODAE PHARMACOPOLIORUM
VISITATIONI INSERVIENTE

IN

USUM AUDITORUM
POSITA

A

D. JO. WILH. BAUMER,
MED. PROF. PRIMAR.
IN ACAD.
GIESENA ET PHYSICO PROVINCIALI.

FRANCOFURTI ET LIPSIAE
IN OFFICINA FLEISCHERIANA.
MDCCLXXVII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1777158613/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1777158613/phys_0006
DFG

PROOEMIUM.

Libelli huius conſcribendi rationem vt tibi, Benevole Lector, breviter exponam, mearum partium eſſe, duxi. Cum inter alias diſciplinas medicas, iurispruáentia medica, in Academia noſtra, a me tradenda ſit; nobis in diſciplina hac ſcriptores eruditiſſimos non deeſſe, facile comperi. Inter hos tamen nonnullos, ob prolixitatem, praelectionibus academicis minus accommodatos eſſe, ipſo quoque eorum vſu didici. A plerisque etiam Politiam medicam iurisprudentiae medicae non ſatis adaequate admixtam eſſe, ſalvis aliorum iudiciis, cenſeo; cum illa ſcilicet, vt ſapientiae pars, ad curiam, haec vero, iurisprudentiam propius reſpiciens, ad forum pertineat. Has igitur diſciplinas ſeorſim pertractare, atque Dominis auditoribus meis,

meis, tamquam inter se distantes, proponere, commodius visum est. Praeter Politiae medicae dogmata vulgo nota, quaedam longo vsu mihi cognita, & forte haud contemnenda, a me adiecta sunt. Vnde catalogus, commodae pharmacopoliorum visitationi inserviens, originem traxerit, in ipsa pertractatione indicatum est. Quaedam illi, non tamquam oppido necessaria, sed vt nonnullorum Practicorum sententiis aliquid concedatur, appositа sunt. Herbis officinalibus definitiones Linnaeanae ideo additae sunt; quoniam in siccis etiam quaedam notae adhuc satis conspicuae adhuc distingui possunt. Pharmacorum quorundam vulgo notorum characteres ac proprietates enumerare, superfluum visum fuit. Si Deus vitam concesserit, iurisprudentiam medicam, in auditorum meorum vsum, etiam brevi editurus sum. Vale interim, Benevole Lector, atque his, si placent, vtere!

Cap. I.

Caput I.

de Politia medica generatim agens.

§. I.

Politiæ medicæ definitio.

Scientia rempublicam medicam bene ordinandi administrandique Politia (πολιτεία, civitatis regimen) medica dicitur. Quidquid igitur ad rempublicam, respectu valetudinis civium secundæ tuendæ, adversaeque profligandæ, recte constituendam gubernandamque pertinet, illud hujus disciplinæ objectum proprium est. Cum & magnam fortunarum civitatis partem pecuaria constituat, hujusque usus in civium valetudinem influxum habeat jumentorum pecudum conservationem eadem hæc disciplina quodammodo respicit.

§. II.

Magistratus officium.

Leges in hunc finem collimantes rogare, easque casibus obviis applicare, ut in reliquis sic etiam hic, solius summi Magistratus est. Cum enim reipubliquæ gubernacula

cula ipsi tradita sint; prudentissimis legibus civium actiones ita moderari, ut publica salus commodissime obtineatur, nec res publica, ob ejus culpam, detrimentum capiat, plane illius est. Plato Libr. XVI. de regno, necesse, inquit, est, eam maxime ac solum rectam existimare rempublicam, in qua, qui magistratibus funguntur, re vera gubernare sciunt, & non tantum videntur; quatenus enim, scientia & justitia freti, ex deteriore meliorem, pro viribus, civitatem efficiunt, atque servant; eatenus, rem publicam rectam appellari, volumus. Cum præterea, eodem in Georgia teste, circa maximum hominis bonum, nimirum vitam ac sanitatem, Medicina versetur; hic maxima, si unquam, cura & vigilantia opus est. Vid. ill. Laur. Heisteri diss. de Principum cura circa sanitatem subditorum. Helmst. MDCCXXXVIII. & ill Geor. Gottl. Richteri diss. de cura Magistratus circa valetudinem civium. Gœttingæ MDCCLVIII. Cel. Geor. Philip. Michaëlis diss. de Principum ratione conservandi subditorum sanitatem. Marburgi MDCCLXVIII.

§ III.

Sapientiæ pars est.

Sicuti Politia generalis, ita etiam hæc specialis, Sapientiæ pars est, adque ad curiam,

riam, quæ pluribus in locis, mutato nomine, Regimen Principale nunc dicitur, non autem ad forum, ubi secundum leges civiles, ecclesiasticas atque criminales, caussæ illuc spectantes dirimuntur, pertinet: Ex quo, Juris Consultos, caussarumque Patronos, nisi simul Sapientiæ Consulti sint, Politiam Medicam neque satis intelligere, neque hanc illis curæ cordique esse, sequitur.

Schol. Medicinæ Forensi a pluribus scriptoribus Politiam Medicam hactenus non satis adæquate admixtam esse, eam vero, tamquam disciplinam medico-philosophicam, circa res medicas publicas versantem, melius seorsim pertractari, censeo.

§. IV.

Medicorum circa illam officium.

In Politia medica tam legum salutarium rogatio, quam prudens earum ad casus singulos applicatio principiis physico-medicis nititur; ne igitur a scopo aberretur, tam in legibus politico medicis rogandis, quam applicandis Medici, ut artis periti, audiendi sunt. Hi vero, ut arduum hoc religionisque pleniſſimum officium rite explere possint, non solum disciplinas philosophico-medicas ad amussim calleant, ad omnia, quæ ad civium valetudinem secundam tuendam, adque ad adversam aver-

runcandam pertinent, attentissimi sint, de imminentibus ac præsentibus periculis valetudinem utramque concernentibus ad Magistratum in tempore referant, salutaria illi consilia suppeditent, atque ab hoc rogati, ut viros prudentes ac probos decet, non ad hypotheses, sed secundum indubia principia physico-medica, experientias, experimenta ac rationem, omnia investigent, determinent atque diiudicent, &, omnem culpam dolumque sollicite fugientes, a veritate ne latum unguem quidem unquam recedendum esse, sibi persuasissimum habeant. vid. Cel. Fr. Bœrneri diss. de Medico reipublicæ conservatore, legumque custode. Lipsi. MDCCLIV.

§. V.

Autorum Testimonia.

Politiam medicam hoc modo instituendam, tractandamque esse, non solum ipsa res loquitur, sed etiam viri prudentes usuque periti satis testati sunt; quorum nonnullos citare, operæ pretium est. Testante Cel. Vinc. Carrario in tract. de Medico illiusque erga aegrum officio, Ravennæ MDLXXXI. edito, non in aegrotorum lectulis tantum Medicorum officium terminatur; sed etiam, in curiam prodeuntes, reipublicæ consiliis atque decretis suis litant,

rant, & forum aliquando moderantur. Cel. Jo. Bohnius in libro de officio Medici duplici, Lipſ. MDCCIV. edito, parte II. c. I. Magiſtratus, inquit, Medicos conſulere, horumque cenſuras in multis expoſcere, tenetur; quibus adiuti demum de rebus dubiis ſapienter atque integre judicant. In civitatem ejusque integritatem artis medicæ ambitus etiam immediate ſeſe exerit. Medicorum prudentiæ aëris ac victus ſalubritatem Magiſtratus, civium ſaluti invigilans, committit. Cel. Jo. Ern. Hebenſtreit in anthropologia forenſi Lipſ. MDCCLI edita, ſect. I. c. I. §. I. conſilia, ait, a Medicis Magiſtratus exigunt; cum, quid reipublicæ cauſſa inſtituendum perficiendumque ſit, illi ignorare haud debeant, & ſcire præſumantur.

Cap. II.

De conſtituendis regendisque perſonis medicinalibus generatim agens.

§. VI.

Perſonarum medicinatium conſtitutio.

Finem rite adepturus, de mediis illi aptiſſimis ante omnia cogitet; ergo, ne reipublicæ perſonæ in utraque medicina eruditiſſimæ exercitatiſſimæque deſint, indefeſſam maximamque Magiſtratus curam habeat.

Ad salutarem hanc scientiam excolendam subjecta judicio pollentia invitanda sunt; illa enim non prolixioris ambitus solum; sed & cognitu, diiudicatu, ipsoque exercitio difficillima est; ne, pro nonnullorum præjudicio, ad studium Theologicum vel juridicum inepti ad medicinam addiscendam satis habeantur idonei. Plato in Protagora, in republica medicos eruditione claros usuque comprobatos, neutiquam desiderari, voluit. Perill. L. B. Christ. de Wolf in den vernünftigen Gedanken von dem gesellschaftlichen Leben der Menschen c. 3. §. 380. inquit, da man zu Verhütung der Krankheiten große und viele Sorgfalt vonnöthen hat; so muß man auch in dem gemeinem Wesen zu Abwendung derselben alle mögliche Mittel finden: Zu dem Ende hat man verständige Aerzte und Wundärzte nöthig.

Schol. Longos terramm tractus personis medicinalibus publicis carere, vel plurium civitatum aut præfecturarum curam uni committi, consultum non est; in primis si morbi epidemici, saepius meritabiles, inciderint Illarum penuria etiam pravis medicastrorum conaminibus ansam præbet.

§. VII.

Earum institutio.

Cum scientiæ salutaris rite addiscendæ ea ratio sit, ut sine practica manuductione manca

manca debilisque maneat; corpora mortua incidendi, operationes chirurgicas administrandi, processus chymicos instituendi, herbas legendi, artem obstetricandi exercendi, atque medicinam clinicam faciendi, & quidem sub magistrorum experientissimorum diligentissimorumque manuductione, largissima submini stretur occasio. Nec respectu harum disciplinarum necessariis sumptibus parcendum est; nullibi enim melius, quam ad civium valetudinem secundam vitamque conservandas, collocari posse, res ipsa loquitur. Cel. Jo. Bohnius in tract. de offic. Medici dupl. part. I. c. I p. XI. hanc, inquit, filiis artis exercitationem maxime commendo, quæ in visitandis, sub comitatu & manuductione præceptorum, & practicorum experientiæ magis confirmatæ, ægrotantibus consistit. Perill. L. B de Wolf. l. c. inquit: Die Anstalten in einem wohlbestellten gemeinen Wesen müßen dahinausgehen, daß man alle Gelegenheit finde, zu lernen, was einem, der die Kunst treiben will, zu wissen nöthig ist, und die angehenden Aerzte und Wundärzte geschwind zur Erfahrung zu bringen. In terris Austriacis, Gallicis, Borussicis, Hassiacis, aliisque non satis laudanda summorum Imperantium huic rei, in maximum reipublicæ emolumentum, impensa cura omnibus nota est.

Schol. Illi, qui salutaria scientiam medicam in republica provehendi instituta culpose impediunt; gravissimis haud raro ipsimet damnis afficiuntur; dum prudenti auxilio in morbis destituti, opinione sua citius, pereunt.

§. VIII.

Earum examen & obligatio.

Dum ad utramque Medicinam faciendam, vel artes illi ministrantes exercendas, personas illarum non satis gnaras, vel malæ famæ, admittere, admodum periculosum sit; ab arte peritis omnes, istas professuræ, sufficienter tendandæ sunt, atque a Magistratu in illarum vitam sollicite inquirendum est, &, his recte se habentibus, jure jurando obstringendæ & medicinam faciendi licentia demum donandæ sunt. Perill. Jo. Henr. de Justi in der Policeywissenschaft §. 113. inquit: Wenn die medicinischen Anstalten ihren abgezielten Entzweck erreichen sollen; so muß man auf die Gelehrsamkeit und Geschicklichkeit derjenigen, so Aerzte abgeben wollen, eine große Aufmerksamkeit haben, und da die medicinischen Facultäten öfters auch wenig gelehrten Personen die Doctor-Würde, des Geldes halben, zu ertheilen pflegen; so

muß

muß dieſe Würde nicht genug ſeyn, jemand zur Ausübung der Heilungskunſt zu berechtigen; ſondern ein jeder angehender Arzt muß, über dieß, bey dem Ober-Collegio medico einer ſtrengen Prüfung unterworfen werden. Licet ejusmodi privilegiorum abuſus non in omnibus academiis obtineat, & in nonnullis non a ſolo Medicorum ordine, ſed a toto ſenatu academico, Doctoris gradus candidatis conferatur; attamen tam reſpectu Medicorum, quam aliarum perſonarum medicinalium, quavis cautione opus eſſe, libenter concedimus.

§. IX.

Illarum officium.

Omnes artem medicam atque chirurgicam, vel diſciplinas illis inſervientes, quocunque modo exercentes a Magiſtratu adigendi ſunt, ut vitam vivant honeſtiſſimam; impuris enim, ebrioſis, aliove ſcelere inquinatis, neque ſalus publica, neque ſingulorum civium valetudo curæ cordique eſt. Dein ut in officio ſuo pro virili exſequendo omnem diligentiam exerunt, niſi id ſponte faciant, cogendi ſunt; major enim læſio in cives committi nequit, quam ſi ex perſonarum medicinalium incuria, quorum officium longe aliud deſiderat, eorum valetudo atque vita negligitur. Ter-

tio firmiter ſtatuendum eſt, ut illarum quælibet ſuas res agat, nec, uti nonnullarum perverſus mos eſt, neglecto proprio officio, in meſſem alienam falcem ſuam immittat, taliaque tractet, quæ ultra ſuum captum, nec ipſi concredita ſunt. Nec ulli, ut malis artibus ſe aliorum curationibus, vel rebus ad medicinam prorſus non pertinentibus, admiſceat, concedendum eſt. Denique ut, pacem inter ſe colentes, unitis, adeoque majoribus, viribus omnia ad ſalutem publicam privatamque, reſpectu utriusque valetudinis, pertinentia prudenter ac ſedulo procurent, a cunctis ſerio exigendum eſt.

§. X.

Honor illis habendus.

Perſonas medicas ad amuſſim officio ſuo fungentes debito honore, prout diverſi illarum ordines illum expoſeunt, dignas Magiſtratus judicet, nec ut ab ignorantibus pravisque artis ſalutaris oſoribus contemptin habeantur, ferendum eſt. Apud gentes politiores v. c. Aegyptios, Arabes, Græcos, Romanos &c. Medicos in honore fuiſſe, legimus. Nec ad illos pertinet, quod apud ultimos nonniſi de jatroaliptis, aliisque hujus furfuris ſubjectis, valuit. Ad Medicinæ, ſicut ad aliarum Facul-

cultatum, Doctores ea quadrant, quæ Cel. Geor. Christoph Walther in tract. de statu, juribus & privilegiis Doctorum omnium Facultatum c. XIII proposuit, quod scilicet doctoratus privilegia cum equestri dignitate, juris dispositione, connexa sint, & in Imperali Camera Nobiles atque Doctores ad paria judicentur. Quin omnes disciplinæ ad utramque Medicinam spectantes oppido liberales sunt, omnibusque eas rite tractantibus sua debetur æstimatio; nemoque prudens illam scientiam, quæ salutis humanæ præses est, vel illam rite exercentes vilipendet; cum hi, sæpius non sine periculo suo, aliorum miseriis levandis vitæque conservandæ inserviant, & docti, probi diligentes Medici magnum reipublicæ ornamentum atque præsidium sint. Vid Cl. Henr. Lampe in tr. de honore, privilegiis & juribus Medicorum Grœningæ MDCCXXXVI.

§. XI.

Earum remuneratio.

Ut personis medicinalibus, pro labore atque expensis suis, justum honorarium præbeatur, pretiumque persolvatur, nec ab ingratis defraudentur, curam Magistratus quoque habeat; id quod tanto justius atque æquius est, cum istæ, ob pauperum mu-

multitudinem, gratuitam aliis operam conferendi occasiones & obligationes quotidie habeant; quod in alia vitæ genera non æque cadit; ita ut illi eleemosinarii publici merito dicendi sint. Magna nonnullorum divitum vel justo tenaciorum, vel in aliis rebus minus necessariis prodigorum, iniquitas est, qui, promissis antea montibus aureis, medicos etiam pauperiores, post curationem, honorario turpiter defraudant, vel tantillum præbentes, id Medicis dono dari, magnifice arbitrantur.

§. XII.

Autorum Testimonia.

De honorario accipiendo discipulos suos Hippocrates in præceptis sequente ratione commonuit: Remunerationis exigendæ acerbitatem, absque cupiditate, suadeo; nequid extorqueas; sed ad opulentiam & facultates respicias; quandoque etiam gratis cures, nempe quando sunt pauperes. Ditiores autem multam atque exactam corporis sui curam & habent, &, haberi, desiderant, illisque inservitur multo molestius. Teste Cel. Dno Ern, Hebenstreit l. c. sect. II. c. v. §. IV. summa æquitas est, illum, qui intra morbos operam præstitit, soluto pro laboribus, curis, vigiliis, cursitationibusque pretio, consolari. Nec desunt suo offi-

officio judices, & postulatam Medicorum mercedem, secundum aegroti facultatem, attemperant, &, ubi in exigenda illa severiores visi sunt, Facultatibus medicis rem decidendam relinquunt.

Schol. I. Iniquissimum atque a Magistratu minime ferendum est, si personæ medicinales, sordida avaritia ductæ, ab ægrotis pauperibus curationis pretium exigunt atque accipiunt, vel illos impie negligunt.

Schol. II. Pharmacevtæ, empirici, circumforanei, aliique tenebriones, medicinam illicite facientes, operæ atque pharmacorum pretium jure exigere nequeunt, neque in illo accipiendo juvandi sunt. Monente Cel. Dno. Hebenstreit l. c. sect II. c. V. §. VII. pharmaca, quæ suo consilio ægrotis Pharmacevta exhibuit, si illorum solutio exigitur, expungenda sunt; cum rei, dolose & cum ægrotantis periculo venditæ, pretia exigi haud possint. Idem de empiricis valere, nullo dubio subiacet; sed nebulones hi, curationibus suis ipsimet parum fidentes, in ejus initio sibi de pretio prospicere solent, atque dein ægrotos argento emunctos deserunt, solumque vertunt.

§. XIII.

§. XIII.

Collegia Medica.

Ordo in rebus medicis, tam legum medicarum transgressiones impediendo, quam admissas puniendo, & omnia, quæ respectu utriusque valetudinis ad salutem publicam necessaria sunt, procurando, a nullis dicasteriis, quam a collegiis medicis, servari potest. Hæc a Magistratu ex personis politiam medicam bene callentibus, Juris Consultis doctissimis & Medicis experientissimis, viris probitate & diligentia conspicuis, quibus salus publica curæ cordique est, legenda atque ea autoritate augenda sunt, ut, sine aliorum judicum imploratione, id, quod res ipsa fert, possint constituere.

§. XIV.

Eorum usus.

Ad ejusmodi collegia tam a præfecturarum prætoribus, quam a personis medicinalibus, omnia deferenda sunt, quæ civium valetudini periculum portendunt, vel contra leges medicas patrata sunt; ut illis in tempore obviam iri possit. Quin in quovis utriusque Medicinæ casu graviori personis medicinalibus collegia medica a consiliis sint.

§. XV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1777158613/phys_0022
DFG

§. XV.

Testimonium.

Quod Perill. Dn. de Justi in den Grundsätzen der Policey Wissenschaft §. 351. de republica bene ordinanda administrandaque generatim monuit, id non potest non de politia medica speciatim verum esse. Daß die Policey-Fälle nicht den ordentlichen Gerichtbarkeiten überlassen werden können, bedarf wohl keines weitläuftigen Beweißes. Alle diese Gegenstände sind so beschaffen, daß zu ihrer Entscheidung eine besondere Erkenntniß der ächten Policey-Grundsätze erfodert wird; welche die ordentlichen Richter selten haben. Der Zusammenhang der Policey-Verwaltung erfodert auch dieses, und eine Aufsicht, die ohne genugsames Ansehen, und ohne die Macht zu strafen, statt finden, soll, ist eine leere und vergebliche Anstalt, die nicht die geringste Würkung haben kann. Die Straffen sind die Mittel, wodurch die Policey-Anstalten erhalten werden müssen. Wenn diese Mittel in der Gewalt anderer sind, die eins theils diese Endzwecke nicht genugsam kennen, andern theils aber von besondern Grundsätzen, Absichten und Leidenschaften regiert werden; so erwarttet man die Erreichung dieser Endzwecke vergeblich.

Idem

Idem autor l. c. C. VIII. de collegio medico sequentia speciatim tradidit: Da die Menschen gar vielerley Krankheiten unterworfen sind, die viele frühzeitig in das Grab werfen; so sind alle Maßregeln der Policey zur Bevölkerung eines Landes wenig oder nichts; wenn nicht auch dieselbe ihre Vorsorge auf die Erhaltung der Gesundheit, und Heilung der Krankheiten der Unterthanen, richtet. Zu dem Ende ist in einem wohl eingerichteten Staate zuvörderst ein Gesundheits-Rath nöthig, der aus einigen ansehnlichen Staats-Bedienten, welche eine vollkommene Erkenntniß in dieser Art der Policey Angelegenheiten besitzen, und aus einigen gelehrten, erfahrnen und berühmten Aerzten bestehen muß, und derselbe muß vor alle in diese Bezirk fallende Angelegenheiten eine unermüdete Vorsorge tragen.

Cap. III.

De personis medicinalibus speciatim.

§. XVI.

Medicinæ Professores.

In academiis scientiæ medicæ Professores doctissimi atque diligentissimi constituendi, & ut quilibet disciplinas sibi concreditas practice doceat, adigendi, atque, ad hunc finem con-

consequendum, quovis modo juvandi sunt; nisi enim illi artem suam subtilius excoluerint, & in erudiendis Medicinæ studiosis perdiligentes fuerint; hi nunquam progressus sufficientes, atque reipublicæ salutares, facient. Nec, alios literatorum ordines medico magis necessarios, plusque juvandos esse, temere contendentes audiendi sunt; etenim inter hujus vitæ bona, diuturna sanitatis conservatione, nihil pretiosius esse potest. Scientiæ salutaris Professores officium suum negligentes tam religioni, quam famæ suæ, pessime consulunt, & si ex hac causa eorum discipuli rectæ ægrotorum curæ habendæ impares fiunt, tunc culpa in illos merito reiicitur, illis justa pœna a Magistratu irrogenda est, eosque divina neglecti officii certo manet vindicatio. Perill. L. B. de Wolf l. c. de re medica ordinanda agens, inquit: Man hat in einem wohlbestellten gemeinem Wesen Verfügung zu thun, daß man auf Universitäten nicht untüchtige Leute zu Doctoribus, am allerwenigsten aber zu Professoribus, mache.

§. XVII.

Medicinæ studiosi.

In nonnullis academiis a summo Magistratu legibus saluberrimis cautum est, ne studiosi arbitrio suo, nondum scilicet matu-

to satisque subacto, relicti; sed prudenti paternæque Professorum suorum inspectioni, propriæ aliorumque salutis ergo, commissi sint. Hoc ubi negligitur, haud pauci, scientiarum cultura susque deque habita, pessime tempus terunt, argentum temere dilapidant, &, eruditione bonisque moribus vacui in patriam redeuntes, reipublicæ nulli auxilio, sed oneri atque detrimento, sunt. Hoc de illis maxime valet, qui arti salutari nomina quidem sua, sed vel nullam, vel valde imperfectam, operam dederunt. Quomodo ejusmodi medicinæ dedecora aliis in morborum curatione auxilio esse poterunt? quin potius tot pestes culposique homicidæ in rem publicam mittuntur, quot ejusmodi mali feriati homines ab academiis in patriam suam, redeunt. Hinc artis Machaoniæ cultores non solum a Professoribus suis iterum iterumque serio commonendi, sed etiam a Magistratu academico quavis ratione, ut omni diligentia ad arduum hoc atque religionis plenissimum vitæ genus sese præparent, adigendi sunt.

§. XVIII.

Medicinæ studiosi juvandi.

Cum nullæ artes magis practicam, eamque exactiorem, institutionem, quam Medicina, desiderent, & hanc ob causam magni

magni ejus cultura constet; ejus Studiosi fatis suis non sunt relinquendi; sed aeque, ut aliarum disciplinarum cultores, stipendiis aliisque auxiliis, in certissimum reipublicæ emolumentum, liberaliter juvandi sunt.

§. XIX.

Graduum academicorum collatio.

Licentia medicinam faciendi, gradusque Doctoris medici, nemini, nisi scientia salutari rite imbuto, conferenda sunt; ne, præter jus fasque, testimoniis honoribusque academicis indigno concessis, res publica fallatur damnisque irreparabilibus afficiatur. Secus agentes non religioni ac famæ suæ solum turpem labem aspergunt; sed etiam meritis pœnis cœrcendi sunt.

§. XX.

Doctorum medicorum officia.

Cum scientia salutaris longa ac difficilis sit; ita ut, illam se jam satis callere, nemo unquam credere debeat: Doctores medici serio commonendi, imo re exigente, cogendi sunt, ut, per omnem vitam, diligentissimam studiorum suorum rationem habeant. Teste Platone l. III. de republica, illi Medici cæteris anteponendi sunt, qui, ab ineunte ætate, præter artis discendæ studium, inter plures male valentes versati

sunt; quod effatum ad antiquissimam medicinam discendi methodum respiciens, ad practicam Medicinæ studiosorum manuductionem nostris temporibus applicari potest. Officio suo in procurando publica privataque valetudine Medicinæ Consulti pie, caute, strenue ac patienter funguntur. De imminentibus valetudinis periculis, & contra leges medicas temere ac refractarie patratis, Magistratum in tempore commoneant. In casibus gravioribus, reipublicæ amore ducti, amica sibi invicem auxilia præstent, &, observationibus medicis sincere inter se communicatis, artem suam, adeo necessariam atque utilem, ditare, nunquam cessent.

§. XXI.

Bohnii Testimonium.

Cel. Jo. Bohnius de officio Medici duplici pr. I. c. I. §. IX. & X. Morbi, inquit, novi si non fiunt, certe observantur aut novæ eorum causæ; aut iidem morbi, in diversis subjectis genium evariando, medendi rationem etiam variant. Fallit memoria, fallit judicium; nisi consultoribus mutis excitatum atque suffultum sit. Ut taciam, adhuc nova morborum remedia, hactenus incognita, indies deprehendi. Assiduo studio Medicorum historias atque observationes evolvere, convenit; quo his, ju-

junior inprimis artifex, instructus, promptior evadat, & in curationibus suis quasi tot Archiatros, collegas ac consultatores habeat; perinde ut, ipsum Hippocratem egisse, Vallesius in commentario de morbis asseruit

§. XXII.

Eorum officia in praxi medica.

Medici praxin clinicam exercentes pacem, quam soli stulti odio habent, inter se colant, a calumniis, malam mentem prodentibus, abstineant, neque aliorum curationibus, neque rebus ad Medicinam non pertinentibus, ullo modo se admisceant; quin potius legitimam, respectu cujuslibet curationis suscipiendæ, vocationem exspectet. Monente Jo. Bohnio l. c. §. LIX. Medicus nunquam, nisi vocatus, accedat, multo minus ulli invito se obtrudat. Si pluribus curatio quædam committenda est, quod prudentes Medici nunquam repudiabunt, sed potius, re exigente, ipsimet, quo rei prudenter & religiose gestæ testes idoneos habeant, ipsimet postulabunt; sine animi æstu, non nisi id agant ut conjunctis viribus aegrotorum saluti prospiciant. In ejusmodi curationibus cujuslibet Medici vocati sententia cum rationibus audienda, &, re probe ponderata, cum omnium præscitu, non autem

tem privatim, commune consilium de morbo tractando capiendum est. Prudentiorum atque usu exercitatorum consilia potissimum hic attendenda sunt. Cuilibet tamen dissensus sui rationes afferre, &, si temere agatur, cum ægrotantis venia, a curatione recedere, vel illi calculum suum non adiicere, licitum est. Tam respectu diagnoseos quam curationis morbi in ejusmodi casibus protocollum conscribi, & a Medicis præsentibus, & coram consentientibus, subscribi, quandoque utile est; ne a male feriatis hominibus ea calumniis postea poscindantur, quæ tamen ab ipsis arte approbata sunt. In officio suo exsequendo Medici etiam taciturni sint, nec silentio præruenda temere effutiant, aut de ægrotorum morbo, aliisve connexis, sciscitantibus imprudenter respondeant. Neminem curæ suæ concreditum, etsi nihil lucri inde expectare possint, negligant; sed etiam pauperrimum quemvis ita tractent, ut secum ipsis, in pari casu, actum iri volunt, & coram Deo, justo actionum humanarum vindice, olim factorum suorum rationem reddituri sunt. Monente Jo. Bohnio l. c. §. CIX non æstimationi, non quæstui, sed hominum saluti ac vitæ, litandum est. Cum teste Seneca ægrotis suis Medici propitii esse debeant; eorum querelas & obluctationes patienter qui-

quidem ferunt, nihil vero, respectu nutritionis & medicationis, permittant, quod illis pernitiosum est.

Obs. Curationes suas, saltim notabliores atque ominosiores, & recordationis & defensionis caussa, recto tamen, opus sit, ægrotorum nomine, in protocollo privato consignare medicinam facientibus utile est.

§. XXIII.

Doctorum officium erga personas medicas.

Aliis personis medicinalibus, chirurgis, pharmacopoeis, & artem obstetricandi exercentibus, consilia exposcentibus prudenter ac cordate respondeant, iisque in officio recte gerendo, quavis data occasione, Medicinæ Doctores auxilio sint. Errata earum primo privatim & modestis verbis, corrigant, illasque in viam reducant. Si vero privatæ atque amicæ correctiones in cassum adhibitæ fuerint, refactariorum peccata ad Magistratum deferant.

§. XXIV.

Vita eorum privata.

Vitam, tamquam summi Numinis servi, piam, castam, modestam, sobriam, omnique culpa doloque malo vacuam, Medicinæ Doctores agant; illorum enim est, ut reliquarum personarum medicinalium

prænonstratores, omnibusque civibus vitæ ad sanctas naturæ leges, a Deo conditas, semper & ubivis accommodandæ, optima exempla sint. Homo autem religionis contemptor, ebrietati, impuritati, aliisque vitiis deditus, officio medici rite gerendo, atque integritatis exemplo aliis præbendo, minime aptus est; nec civium prudentiores ejusmodi furfuris hominibus fident. Verbo dicam, se non tam hominibus, quam Deo, servire, Medici probi semper meminerint. Hippocrates de decenti ornatu, in Medico, inquit, debet esse pecuniæ contemptus, pudor, modestia in vestitu, judicium, lenitas, urbanitas, mundities, superstitionis aversatio, & præstantia summa.

§. XXV.

Medicorum indecora.

Servilia aliis opera præstare, vel gnathonici aut ridiculi munere fungi, a gravi serioque Medici officio prorsus alienum est, & medicorum prudentiores, suaque sorte contenti, caveant, ne, lucri vel cibi petendi caussa, in magnum sui, artisque contemptum, se divitum thrasorum, aut petulantium gregi, unquam admisceant. Cujusque sortis homo intra officii sui cancellos manens, nec ultra suos limites evagans, quo-

quovis honore dignus est. Cel. Jo. Bohnius l. c. §. LXXV. Medicum, inquit, non satellitem aut cubicularium, sed consiliarium, se præstare, convenit. Vid. Ejusdem autoris quinque diss. de officio Medici, Lipsiæ MDCLXXXXVII. MDCLII. & MDCC. editæ.

§. XXVI.

Medicorum salaria.

Medicis eruditione claris, & officio suo viriliter fungentibus, salaria ad victum & amictum, nec non ad familiam alendam, sufficientia tribuenda, & sic ad onorosum & periculi plenum hoc vitæ genus ingenia excitatiora, in magnum reipublicæ commodum, allicienda sunt. Sed, ut nunc sunt mores, justo parciora Poliatrorum & Medicorum publicorum, quos vulgo Physicos nominant sæpius salaria sunt; ita, ut interdum vix ad amictum sufficiant, & nihilominus, ut sibi in morbis suis atque calamitatibus publicis, Aesclepiadæ, quin Apollines, adsint, civitates efflagitant. A Magistratu summo salaria justo tenuiora, pluribus in locis, secundum justum & æquum augeri possent, si vulgo in res inutiles vel superfluas impensæ circumciderentur.

§. XXVII.

§. XXVII.

Pharmcopœorum dexteritas.

Reipublicæ quoque multum interest, ut Pharmocopœi artis suæ haud rudes sint; sed tam materiam medicam, quam chymiam pharmaceuticam, probe calleant, & processibus chemicis, saltim difficilioribus, ipsimet manus suas admoveant; ne, in cœmendis simplicibus, ab aromatariis, herbariis atque rhizotomis fallantur, &, non sine valetudinis civium, impensorum que jactura, pharmacis falsis, adulterinis, varioque modo corruptis, aliis iterum inponant. Dein ut remedia composita non ab aromatariis vel malis chymicis emant; sed ipsimet, non proletarie, verum ad artis regulas, quam accuratissime conficiant. Nec ab illis, ut ipsimet, sine præscitu & consilio Medicorum, propria autoritate illorum formulas mutent, aut præscriptis alia temere substituant, ferendum est. Ubi vero, in præscripta a Medico formula errorem occurrere, autumant, de illo eum modeste admoneant, correctionemque expectent. Formularum autographa, vel saltim, ante eorum traditionem, illorum descriptiones, illis servanda sunt; ut, subortis de curatione vel pharmacorum pretio litibus, documentorum loco inserviant. Ad officium suum rite exsequendum,

dum, post exantlata apud Medicorum ordines examina, a Magistratu sacramenti præstatione Pharmacopœi obstringendi sunt. Cel. Jo. Ern. Hebenstreit in anthropologia Forensi sect. I. c III. §. VI. necessarium est, inquit, ut, ad rem, secundum artis regulas, conscientiæ præcepta & normam sibi a medentibus præscriptam, fideliter agendam, a Magistratu adstringantur. Pharmacopœos aliis spartis v. c. senatorum &c. implicari, vel rebus œconomicis e. g. agrorum culturæ, pecuariæ, mercaturæ vulgari, nimium deditos esse, haud consultum est; cum ejusmodi res, sine proprii officii neglectu, geri nequeant.

§. XXVIII.

Eorum vita.

Pharmacevtæ viri honestate conspicui, modesti, diligentes ac sobrii sint, & hoc quidem; ne in conficiendis pharmacis, cum certo ægrotorum periculo, hallucinentur. A turpi etiam avaritia abhorreant, ne, in simplicium coëmptione sumptibus parcentes, deteriora vilioraque comparent, vel iniquum pharmacorum & operæ suæ pretium a civibus maxime pauperioribus, quod sine magna religionis læsione fieri nequit, exigant. Denique nec morosi, nec pigri, sint; sed exactam remediorum præparationem,

nem, quantum fieri potest, die nocteque festinent; maxime in casibus, ubi periculum in mora est. Pharmacopœi officio suo religiose fungentes omni honore digni sunt, & libertas personalis a summo Magistratu illis recte conceditur.

§. XXIX.

Cautelæ dispensatoriorum Pharmac.

Venenatorum, narcoticorum, drasticorum, fetum expellentium, aliorumque nocivorum temeraria venditio pharmacopœis gravi pœna interdicenda est; ne iis in aliorum perniciem malefici abutantur. Venena in loco clauso, & nonnisi ipsi pharmacopœo patente servata sint, eorum præparatio in vasis soli huic usui destinatis, fiat & nonnisi personis fide dignis, aut Magistratus sui testimonio præditis, venundentur, & quidem titulo suo inscripta, & pharmacopœi sigillo munita. Nec alia pharmaca, per se quidem innocua, sed nonnisi relative bona, in ægrotorum usum vendant; ne, nec morbo nec remedio satis intellecto, ille falsa fiducia interim neglectus, altiores radices, postea ægre, vel prorsus non, extirpandas, agat. Pharmaca in ægrotorum usum poscentes ad prudentes Medicos, consilii petendi causa, ablegandi sunt. Empiricis, aliisque personis medicinam illicito

modo

modo facientibus, medicamenta vendere, pharmacopœis haud liceat; sed posita pœna interdictum sit; ne impiis ejusmodi hominibus nociva arma tradantur, quibus dein in imprudentem miseramque plebem sæviant. Cel. Ern. Hebenstreit l. c. §. XV. interest reipublicæ, inquit, sedulo prospicere, ne medicamenta, sine Medicorum consilio, ab imperitis exhiberi aut accipi, vel mercium nocentium venditio publice institui possit. Interdicendi sunt pharmacopolæ ab imprudente illa, quam sibi arrogant, medicinam faciendi, vel drastica quævis medicamina exhibendi, audacia; nocent enim gravidis vomitoria maxime, & purgantia. Me in praxi clinica hujus abusus maxima damna observasse, testificor.

§. XXX.

Eorum discipuli & socii,

Quædam etiam observationes, respectu tyronum atque sociorum, pharmacopolarum quos vulgo subjecta nominant, necessariæ sunt. In illorum numerum nonnisi adolescentes excitatiore ingenio præditos, linguam latinam sufficienter intelligentes, & bonis moribus conspicuos, recipiant, atque in illis probe erudiendis diligentem pharmacopœi operam collocent; sed a pharmacorum dispensatione, antequam artis pharma-

macevticæ bene gnari sunt, prorsus arceant. Non sociorum veterani pharmacopoliis præpositi solum, qui Provisores audiunt, a Medicorum collegiis examinandi, & jure jurando, de officio suo religiose exsequendo, a Magistratu obstringendi sunt; sed hoc etiam respectu reliquorum sociorum observandum est, & nescio quænam admodum suspectæ causæ subsint, propter quas isti legibus his, ad salutem publicam adeo necessariis, pertinaciter se subtrahere soleant. Ill. Frid. Hoffmannus in Medico politico §. XXXXVI. regula XII. ministri, inquit, jure jurando obstringi deberent; quia suis manibus pauciſſima medicamenta pharmacopœi ipsi præparant atque distribuunt. Omnes vero pharmacopœorum ministri in arte sua probe exercitati, sobrii, modesti, bonisque moribus præditi sint eorumque unus vel alter semper domi se contineat; ne ægrotis in pharmacorum præparatione in mora damnosa sint.

§. XXXI.

Eorum praxis clinica.

Cum pharmacopœi artem suam rite excolentes, & officinis suis exacte prospicientes, multis negotiis jam occupati, & in re satis lauta plerumque positi sint; ut, superbia tumidi vel lucri nimis cupidi, ipsi-

met

met vel eorum ministri praxin clinicam faciant, pharmaca ægrotis prolubitu distribuant, & illos visitent, minime a Magistratu ferendum est; cum neque medicinæ neque chirurgiæ gnari sint. Cel. Ern. Hebenstreit l. c. sect. 1. c. III. §. VI. haud pauci, inquit, ex pharmacopœis sunt, qui aliqua sui fiducia elati, quandoque Medicos frequenter audiunt, eorumque consilia ex præscriptis formulis subintelligunt, in sanitatis consiliarios se erigere, audent, ut, vel exemptoris narratiuncula se morborum causas satis perspicere, & remedia contra illos ordinare posse, putent, vel ipsi ad ægrotos accedant, cum magno eorum periculo, quorum curam in se, sine mente atque intellectu cognitionis ad illam necessariæ, suscipiunt: quos adeoque, si id facere ausi fuerint, leges publicæ non tantum castigant; sed judex etiam, si quid atrocius, contra sanitatem vitamque hominis commissum est, tamquam criminis reos in jus vocat.

§. XXXII.

Aromatarii.

Ab aromatariis, vulgo Materialisten, pharmaca simplicia, in primis exotica, pharmacopœi coemunt, istorumque haud pauci ad fraudem tam bene edocti sunt, ut plures merces non genuinæ, sed pluribus modis

dis adulteratæ sint. Ne igitur pharmaca simplicia a fraudatoribus adulterentur, vel exotica corrupta ab aromatariis in regiones nostras invehantur, a Magistratu quantum fieri potest, prospiciendum est. In provida venenorum venditio aromatariis interdicenda, nec illis remediorum compositorum, ad pharmacopœos spectantium, venundatio licita est.

§ XXXIII.

Ab aromataria pharmacopœi abstineant.

Pharmacopœos contra, non aromatariæ, sed soli pharmaciæ, vacare, & illis & reipublicæ consultius atque utilius est. Attamen in urbibus minoribus, ubi ad alendam eorum familiam sola pharmacorum venditio haud sufficit; illis permitti potest, ut aromatariam simul faciant.

§. XXXIV.

Chirurgi rite erudiendi.

Permulti chirurgi, ut vulgaris illorum institutio est, ultra novaculam unguenti illinitionem, emplastri applicationem, venamque secandam, vix sapiunt; quin & hæc haud raro satis siniſtre adhibent. Cum vero ista ad chirurgiam discendam faciendamque minime sufficiant; non solum tyrones suos negotiis domesticis minime impediant; sed po-

potius doctrina atque experimentis chirurgi fideliter erudiant; verum etiam omnibus chirurgiam discentibus vel facere incipientibus, ut sectionibus anatomicis, lectionibus & operationibus chirurgicis, artis obstetricandi, physiologiæ, materiæ medicæ atque pharmaciæ interfint, concedendum est. In tyronum exemtione, non tam ad peractos disciplinæ annos; sed ad acquisitam scientiam chirurgicam, attendendum est.

§. XXXV.

Operationes chirurgicæ.

Loco litium de rebus pauci nulliusve momenti inter se, & cum balneatoribus, chirurgis utilius atque honorificentius esset, si in operationibus chirurgicis v. c. cataractæ depositione, herniotomia, lithotomia, atque arte fascias scite applicandi &c. probe instructi atque exercitati essent; ne graves ejusmodi medicinæ fraudulentis circum foraneis non sine reipublicæ detrimento, & chirurgorum dedecore, committendæ essent. Cum etiam cucurbitularum, incisa prius cute, applicatio, non ex consuetudine, sed ad morbos profligandos, suscepta, ad operationes chirurgicas utique pertineat; nulla ratio adest, cur eam sibi dedecori esse, Chirurgi nostri autument; in primis cum bal-

neatorum stationes pluribus in locis in desuetudinem abierint.

Obs. Haud raro fit, ut chirurgi, merita sua gloriantes, ad hernias incarceratos curandas in tempore vocati, post repositionem incassum tentatam ægrotum perire potius sinant, quam herniotomiam tentent.

§. XXXVI.

Chirurgorum vita.

Quæ supra de Medicis, ut pii docti, exercitatissimi, cauti, non temerarii, sobrii, casti, pacis amantes, non avari, sed justi & æqui sint, monita fuerunt; omnia hæc Chirurgos etiam quam maxime decent; nisi enim his dotibus utramque, vel alterutram, medicinam exercentes exornati sint; nunquam illam religiose, feliciter & cum laude facient.

§. XXXVII.

Cautelæ in operationibus gravioribus.

Operationes graviores non unus, sed plures artis Magistri exercitatissimi, ut sibi mutuo consilio atque auxilio sint, quin & hi, non sine unius alteriusve Doctoris Medici, utramque medicinam exactissime intelligentis directione, eas suscipiant; cum hic non solum chirurgis, in recta curationis

nis administratione, a consiliis esse; sed etiam convenientem remediorum internorum usum, in ejusmodi casibus haud raro valde necessarium, præcipere possit. Ex hujus cautelæ neglectu a chirurgis temerariis operationes male peractas esse memini, &, post erroris admissionem Medico consulere, sæpius justo serius est. Monente Cel. Jo. Ern. Hebenstreitio l. c. sect. I. c. III. §. V. si efficacior chirurgia exercenda est, qua in ægrotantis vitam delinqui posset, a sapientis Medici consilio Chirurgum stare, vas est.

§. XXXVIII.

Nociva V. S. administratio.

Quin & leviores operationes chirurgicæ e. g. venæ sectiones intempestive, vel incongrua quantitate, susceptæ periculo non carent, & in ægrotis, vel ægrotare timentibus gravidis aliisque imbecillis Chirurgi illam, in consultis medicis, nunquam administrare deberent. In quarundam febrium acutarum epidemicarumque principio intempestiva venæsectione morbi typum prorsus perversum, naturæ molus turbatos esse, totamque rem pessime cedere, memini. Nec gravidarum, ob nimiam venæ sectionem abortum perpessarum, exempla desunt Cel. Jo. Ern. Hebenstreit l. c. §. XV. cum fetum,

inquit, nihil plus, ſanguine liberaliter ex vena miſſo, corrumpat; ut venarum ſectoribus, ne cuivis mulieri venam incidant, imperetur, neceſſe eſt.

Obſ. Ante tria luſtra accidit, ut a mercatoris cujusdam uxore, vigeſſimum octavum annum agente, & quædam graviditatis ſigna exhibente, ceteroquin recte valente, interrogarer, an ſibi, ex ſua opinione nimia obeſitate laboranti, larga ſanguinis miſſio conduceret? Cum vero ſanguinem ex ſecta venæ haud ita pridem jam miſerat, nec plethoræ nocivæ notæ aderant; illam inutilem, quin ob non leve graviditatis augurium, damnoſam fore, reſpondi. At illa, contempto meo conſilio, & ſcioli cujusdam pharmacopœi, praxin clinicam exercentis, & non ulla arte ſed vulgi ſtupore nobilis, ſuaſu ſanguinem largiter miſit; quod temerarium factum actutum lipothymia atque abortus embryonis IV. circiter menſium conſecuta ſunt.

§. XXXIX.

Eorum remuneratio.

Optandum quoque eſſet, ut excitatioribus Chirurgiæ cultoribus, ad artem ſuam ſubtilius excolendam, & Chirurgis probe exercitatis, diligentibus atque in officio publico

blico constitutis, Stadt- und Ämts-Chirurgos vulgo nominant, sufficientia ubique erogarentur stipendia; quæ ad disciplinam hanc subtilius excolendam ingeniis exitationibus incitamento sint. Chirurgi eruditi & munere suo rite fungentes quovis etiam honore digni, & tamquam artem liberalem tractantes, libertate personali a summo Magistratu merito condonandi sunt.

§. XL.

Balneatores.

In nonnullis locis balneatores artis chirurgicæ, saltim vulgaris, satis gnari sunt, privilegiis suis gaudent, atque chirurgiam faciunt. Hi sane ab aliis rudioribus nil, præter cutis incisionem & cucurbitularum applicationem, sapientibus, omnino distinguendi sunt, illisque venam secandi, vulnera & ulcera vulgaria curandi laxata restituendi, fracta coaptandi consolitandique licentia æque tuto, quam chirurgis vulgaribus, concedi potest modo majoris momenti operationes chirurgis reliquant peritoribus.

§. XLI.

Utrorumque praxis interna.

Multos chirurgos balneatoresque, ultra sphæram suam sibi sapere videntes, turpique lucro intuantes, morbis internis curan-

dis illotas manus modo non semper & fere ubique admovere, &, cum prudens horum tractatio longe supra illorum captum sit, eos deteriores facere, ægrotosque in magna pericula præcipitare, dolendum est. Ab hac temeritate, cum certis civium damnis conjucta, non legibus solum, sed etiam pœnis, pro re nata gravioribus, absterrendi sunt. Vomitoriis purgantibusque non tantum drasticis, sed etiam tempore alienissimo datis morbos a chirurgis, balneatoribus aliisque empiricis, mali moris quin lethales redditos, & embryones ex utero exturbatos fuisse, sæpius observatum est.

§. XXXXII.

Obstetricum institutio.

Quanta plerarumque lucinarum nostrarum in arte obstetricandi ruditus sit, crebriora nascentium puerperarumque pericula mortesque, in dubio esse non sinunt; at quanta inde damna redundant in rempublicam! ut igitur mulieres prudentes, bonis moribus præditæ, atque adhuc satis valentes, in hac arte probe instituantur, a Magistratu sedulo procurandum est. Nec vulgaris soloque illarum institutio theoretica, vel potius, sine prævia informatione, a physicis, si diis placet, habita examina ad artem hanc, multa prudentia & cautione exer-

exercendam, sufficiunt; sed practica etiam manuductione quam maxime opus est. Non solum pelvis, uteri & secundarum structuram atque connexionem, graviditatis & partis instantis, ac nuper peracti, signa; verum etiam quemvis fœtus positum, omnia impedimenta, tam ex parte nascituri, quam parientis, felici exclusioni opposita, una cum illa removendi remediis, nec non puerperas & recens natos recte tractandi methodum accurate intelligant; sed etiam in partum promovendi enchiriſibus usu peritæ sint. Affirmante Cel. Jo. Ern. Hebenstreitio l c sect I c. I. §. XVI. Magistratuum, quæ nascentes attinet, cura etiam in eo consistit, ut obstetrices ad res suas, quæ vitam fetus similiter attinent, recte, laudabiliter atque secure gerendas instituant

§. XXXXIII.

Duæ loco plures in quovis loco sint.

Una mulier hujus artis perita in uno quovis loco haud sufficit, sed duæ, quin in civitatibus populosis plures, ob partuum copiam, nec non ob morbum unius alteriusve obstetricis forte incidentem, in quovis loco habendæ sunt. Quin ubivis locorum una vel altera hujus artis discipula (Lehr-Tochter) erudienda atque obstetricibus veteranis, etiam invitis, in laborum exsecu-

tione associanda est. Idem modo laudatus autor l. c. §. XXVII. oportet, inquit, semper in republica esse feminas, quas erudiendas magistro alicui arte & exercitio celebri tradere Magistratus possit, quæ provectioribus in hac arte mulieribus assistant, & a præceptore quidem artis leges, ab his autem usum manuumque exercitium, accipiant.

§. XXXXIV.

Earum officium.

Ut obstretices officio suo religiose, caute ac diligenter fungantur, legibus atque jure jurando adstringendæ sunt. Instante unius alteriusve feminæ partu, domi vel in proxima vicinia, se contineant, loco, ubi inveniri possint suis indicato. Piæ. modestæ, sobriæ mundæ & diligentes, non autem garrulæ, superstitiosæ, sordidæ, bibulæ temerariæ atque avaræ sint. Parturientes nec veri, nec ficti, periculi indicatione terreant. Sellam vel lectum parturienti ita adaptent, ut res desiderat. Tam uteri, quam embryonis situm sæpius modeste explorent, quo, an nisus a parturiente suscipiendi, partusque arte promovendus, vel potius quiescendum sit intelligant. Omnia ad naturæ leges motusque peragant; nec ad partum etinendum parientes intempestive urgeant,

geant, atque præter rationem & in cassum debilitent, nec, occasionibus partus obstacula removendi temere neglectis; illum sua culpa magis impediant, imo quandoque inpossibilem reddant. Lucricupidine ductæ, feminas pauperiores ex partus doloribus laborantes non deserant nec ad ditiores properent; nisi aliem obstetricem peritam, vices suas subituram, antea advocaverint. Casus difficiliores a se haud expediendos, doctioribus enchirisibus, majoribus viribus, quin instrumentis, perficiendos, obstetricandi magistris in tempore indicent; dum auxilio adhuc locus datur, nec status conclamatus est. Post partum, secundas ab utero provide deglubant, non autem, ob læsionis metum, vi avellant. Vid. Frid. Ruyschii aversaria anatomico - chirurgica dec. II. p. XXXI - XXXXI. Omnia ad rectam recens nati atque puerpera tractationem pertinentia rite peragant; quo e. g. convenientem funiculi umbilicalis deligationem, recens nati ablutionem, fotum, & si debilis, vel anæsthesia correptus, est, artificiosam ejus excitationem, uteri providam expurgationem, puerperæ in lectulum repositionem, moderatam abdominis deligationem, illiusque aptis, non calidis, alimentis nutritionem, regiminis temperati præscriptionem &c. referemus. Quandoque etiam,

ad scelera avertenda vel punienda, ut de feminis in cœlibatu viventibus & de graviditate, vel partu clam edito, suspectis ad Magistratum tempestive referant, & in quovis casu forensi illarum artem concernente, quæ reperta atque vera, non autem incerta vel ficta, religiose cauteque renuncient.

§. XXXXV.

Earum praxis clinica.

Obstretricibus modo non omnibus, etiam imperitissimis, pessimus mos est, ut gravidis, puerperis & recens natis variorum incongruorum, quin noxiorum, remediorum usum, inconsultis medicis, præcipiant, atque ingerant, & eo ipso gravia pericula excitent, vel jam præsentia augeant Pernitiosa hæc temeritas a Magistratu legibus ac pœnis serio cœrcenda est. Rarius fit, ut meretricibus pocula abortiva sceleratæ obstetrices præbeant, vel aliis nefandis artibus fetum ex utero excutiant; sed hoc ad scela capitalia atque ad forum criminale pertinet.

§. XXXXVI.

Obstetricum remuneratio.

Ut ad hanc artem, laboris quidem tædiique plenam, sed summe necessariam, mulie-

lierum prudentiores cordatioresque allician-tur; non ſolum honore juſtaque laborum remuneratione dignæ; ſed etiam, ſummi Magiſtratus indultu, ab operibus tributa-riis (Der Frohne) liberandæ, atque ſalario quodam publico, pro connexorum diverſi-tate, remunerandæ ſunt; publico enim in-ſervientes juſta quoque ab illo præmia acci-piunt; id quod reſpectu illarum ideo quo-que juſtum & æquum videtur, cum plu-res caſus occurrant, in quibus, ob multo-rum civium pauperiem, nullum vel certe laboribus minime proportionatum, præmi-um ferunt.

§. XXXXVII.

Artis obſtetricandi magiſtri.

Cum ad caſus intricatos expediendos plu-rium obſtetricum captus atque dexteritas, non obſtante manuductione theoretico-prac-tica, haud ſufficiant; de artis obſtetricandi Magiſtris doctrina & uſu perfectiſſimis rei-publicæ a Magiſtratu proſpiciendum eſt. Illi vera artem ſuam theorectice & prartice diſcipulos ſuos diligenter doceant; ne rei-publicæ riri in arte adeo neceſſaria exerci-tatiſſimi umquam deſint. Obſtetrices vero, ut ſupra dictum eſt, ut in caſibus diffici-lioribus eos in tempore, non autem ſero, in auxilium vocent, adigendæ ſunt. Me-

dicis

dicis atque Chirurgis hanc medicinæ partem prole intelligentibus, usuque peritis, sparta hæc, quin & obstetricum institutio, Medicis vero publicis, vel Collegiis Medicis earum examen, & Magistratui illarum autoramentum omnium optime relinquitur. Quod de personarum medicinalium dexteritate, pietate, sobrietate, continentia, diligentia aliisque virtutibus, nec non de illarum honore atque præmiis dictum est, id ad artis obstetricandi Magistros etiam pertinere, me vel non monente, facile percipitur. Affirmante Cel. Jo. Ern. Hebenstreit l. c. §. XVII. hoc officium Medici sibi datum habent, parturientibus, si per obstetricem fetus expediri nequit, assistendi. Nec audiendi illi sunt, qui indecorum esse, arbitrantur, quo vir parientem curet feminam. Impudicus ille pudor est, impiaque mulierum pietas, si mortem obire, fetumque una secum pessundare, quam ab honesti viri consiliis stare, præoptant.

§. XXXXVIII.

Aegrotorum famuli.

Tam in nosocomiis publicis, quam ædibus privatis, nosocomi apparitorisque, ægrotis inservientes, administrandæ diætæ, porrigendorumque pharmacorum curam gerentes, desideratur. Ad officium hoc personæ

sonæ prudentes, piæ, modestæ, sobriæ taciturnæ atque valentes seligendæ sunt; quæ ad morbi vicissitudines atque symptomata attendant, eaque ad Medicum referant, & tam respectu diætæ moderandæ, quam pharmacorum exhibendorum, illius præceptis accurate obtemperent, ægrotum non deserant, nec ulla huic nociva committant. Alimentis ac præmiis justis contenti sint, furta non committant, & perigrinorum, aliove modo haud curatorum, mortem Magistratui in tempore annuncient. Cautelas has non de nihilo esse, quilibet, ad morbos profligandos bona diæta & accurato remediorum usu opus, & peregrinorum fortunis prospiciendum esse, secum reputans, facile concedet.

Schol. Morbo contagioso acuto laborantibus, præter caeteras observationes, subjecta aetate provectiora tutius, quam juniora, inserviunt, quoniam illorum corpora a miasmate contagioso non tam facile, quam horum, inficiuntur.

Cap. IV.

De legibus medicinalibus.

§. XLIX.

Legum medicorum necessitas.

Si quilibet arte, quam profitetur, satis instructus esset, officio suo, quavis data occa-

occasione, viriliter fungeretur, aliorum salutem ex æquo curaret, omnesque non nisi eo, quod justum & æquum delectarentur, leges rogare, fere inutile foret. Verum cum ista, ob humanam imbecillitatem, multorum inscitiam morumque perversitatem, minime expectanda sint; in quovis vitæ genere legibus atque pœnis errores coercendi fraudes cohibenda, pravaque licentia compescenda est. His etiam in arte circa civium valetudinem ac vitam versante in primis opus esse, res ipsa loquitur.

§. L.

Earum tenor.

Medicorum, pharmacopœorum, chirurgorum, artis obstetricandi magistrorum, obstetricum, omniumque personarum ad medicinam respectum habentium, officia ita, ut ex istarum artium notioribus, rectoque earum exercitio, fluunt, reipublicæ utiles, & cuivis provinciæ accommodatæ sunt, nec non cuilibet istas rite facienti, ipsisque auxiliis atque remediis, justum pretium, temporum & locorum rationi, aegrotorumque conditioni accommodandum, constituant.

§. LI.

Gratuita pauperum cura.

Ut gratuitam pauperibus ægrotis operam dent, seu illis ex officio inserviant, omnes personæ medicinales, in primis publicæ, adigendæ sunt. Pharmacopœi vero ab illis nil, nisi aes erogatum, exigant. Sed cum ne hoc quidem multis pauperibus præ manu sit, atque, pro magno eorum numero, huic oneri ferendo officinæ pharmaceuticæ impares forent; admodum consultum, atque reipublicæ utile, esset, si eleemosynarum publicarum pars, in auxilium pauperum ægrotantium, maxime in morbis epidemicis, pharmacis cöemendis, atque diætæ procurandæ, impenderetur; illis enim inter pauperes nemo miserior auxiliique indigentior est. Perill. L. B. de Wolf. l. c. c. III. §. LXXX. rectissime inquit: Weil gefährliche Krankheiten gemeiniglich von armen Leuten den Ursprung nehmen, welche sich in ihren Krankheiten nicht halten können, wie sichs gebühret; so hat man Anstalten zu machen, daß arme Patienten an Rath, Artzeneyen, und nöthiger Pflege, keinen Mangel haben.

Schol. Dum adhuc in Thuringia commorabar; in nonnullis morbis epidemicis feli-

feliciter profligandis, aliisque multorum pauperum morbis sporaticis curandis, nec non in Medicinæ Candidatis practice erudiendis, magnam consimilis instituti utilitatem observari.

§. LIII.

Nosocomia.

Ejusdem rei caussa tam a Magistratu, quam aliis piis civibus, nosocomia in pluribus locis, non sine maxima laude, fundata sunt, eorumque reditus in pauperes aegrotantes & personas miserabiles collocantur. An autem ubique religiosa primævi instituti ratio habeatur, illorum curatores ac præfecti ipsimet videant. Vid. Cel. Jo. Herm. Fürstenau diss. de xenodochiis Rintel. MDCCXXXIV.

LIV.

Legum incompl, emendatio.

In plerisque provinciis, a longissimo tempore, leges medicinales quidem sancitæ sunt; summi enim imperantes, in ejusmodi salutaribus legibus ferendis, officio suo, haud facile deesse solebant. At quaedam in illis nostro saeculo minus accommodata, aliorum vero scitu factuque oppido necessariorum in illis nulla mentio fit; quaedam igitur de illis deroganda, aliaque iis, prout di-

diverſae rerumpublicarum conditiones id ferunt, ſurroganda eſſe, nemo non videt.

§. LIV.

Transgreſſorum pœnæ.

Juſtis, utilibus atque ex ipſa re deſumptis legibus quilibet vir prudens ac bonus exacte & lubentiſſime obtemperat; dum ſine illis ſalutem communem propriamque firmo talo ſtare haud poſſe, probe intelligit. At malis juſtum & aequum haud curantibus, optimæ etiam leges ludibrio ſunt, nihilque illæ proficiunt; niſi temerarii, protervi moroſique earum transgreſſores vi, brutorum inſtar, cöerceantur, juſtisque pœnis, re exigente, afficiantur; cujus rei §. XV. generalis quaedam mentio jam facta eſt.

§. LV.

Magiſtratus inferioris incuria.

An Magiſtratus inferiores, quorum eſt invigilare, ut cives legibus conformiter agant, & doloſe ac pertinaciter contra illas impingentes pœnis compeſcantur, officio ſuo ſemper & ubique ſatisfaciant; vel potius hæc non ita curent, ut e republica eſt; ſed in admiſſis prævaricationibus conniveant, res ipſa ubique locorum indubium faciet.

Cap. V.

De præsidiorum valetudinis procuratione.

§. LVI.

Remediorum procuratio.

Humanæ naturæ imbecillitas, ut & iniuriarum externarum multitudo ac gravitas, in causſa sunt, ut, non obstante quavis circumspectione, morbi tam sporatici, quam epidemici, ingruant, & modo longe lateque strages suas edant, modo singulos rapiant; Magistratus igitur est, in tempore procurare, ne quid respectu annonæ, necessariorum optimorumque pharmacorum, aliorumque auxiliorum in republica umquam desit. Ingruente enim vel jam debacchante hoste, justo serius arma parantur. Inter Titi, Romanorum Imperatoris laudes, illum medendæ valetudini, leniendisque morbis, nullam operam non adhibuisse, inquisitoque omnium remediorum genere, Cajus Suetonius Tranquillus in vitis XII. Romanorum Cæsarum retulit.

§. LVII.

Annonæ caræ damna.

Quando ex tempestatum injuria seges vehementer fallit, agri bello vastantur, aut injusta sua lucra frumentarii impune sectantur;

tur; magna annonæ caritas oritur: quæ, ob miseriam publicam victumque immundum ac insalubrem, morbos epidemicos pessimi moris haud raro post se trahit; vel saltim plures, miseria atque fame perire, cogit. Famem a peste exceptam fuisse, Thucydides, Plutarchus, Livius, Eusebius, Galenus, aliique testati sunt.

§. LIIX.

Annonæ cura.

Quo autem a republica tantum atque tam commune malum arceatur, annis, in quibus magna annonæ vilitas est, in horreis publicis sufficiens cerealium copia colligenda, &, ne vetustate corrumpantur, vetustiora annuatim, æqua aestimatione, cum recentibus permutanda sunt; sic enim moderatum frumenti pretium figi, ac nimia annonæ caritas, & pericula inde metuenda, averti possunt. Illa vero jam imminente, cerealium exportatio cohibenda frumentariorumque avaritia pœnis retundenda est. Perill. L. B. de Wolf l. c. § CCCLXXXI. inquit: Wenn man die Krankheiten verhüthen will; so muß man die Ursachen derselben aus den Weg räumen. Die Menschen werden krank, wenn sie, aus Noth oder Unwissenheit, ungesunde Speißen und Getränke genießen. Man hat demnach

davor zu sorgen, daß kein Mangel an nöthigen Lebens-Mitteln sey. Absonderlich sollte man auch auf Vorrath bedacht seyn, davon man in theuren Zeiten den Armen, um einen mäßigen Preiß, überlassen könnte. Idem Perill. Autor l. c. de eadem materia sequenti modo agit: Damit man nicht selbst zu der Pest und ansteckenden Krankheiten Gelegenheit gebe; hat man in theuern Zeiten zu vermitteln, daß arme Leute, die nicht so viel erwerben können, als das Brod kostet, nicht genöthiget werden, aus Mangel, ungewöhnliche Speißen zu eßen. Apud eundem l. c. §. CCCXXXI. legimus: Weil es nicht in unserer Macht steht, Mißwachs zu verhüthen; so ist es nöthig, bey guten Jahren allzeit einen Vorrath übrig zu behalten, und nicht allen Ueberfluß in auswärtige Länder zu verführen.

§. LIX.

Cerealium puritas.

Cerealium puritati, ne nociva vel heterogenea v.c. secale cornutum (Mutter-Korn) lolium temulentum (Lülch, Trommel Gerste) bromus (Rocken-Trezte) &c. admixta, aut illa corrupta sint, sedulo prospiciendum est. Cel. Dn. Jo. Ern. Hebenstreit l. c. sect. I. c. II. §. XXV. nascuntur, inquit, ex glumis longa, extus nigra, intus alba, fungosa cor-

corpora, corniculis similia; unde nostris corniculatum hoc frumentum dicitur; quæ farinam albam, sapore gratam dulcemque, continet. In frumenti aristis falsa hæc germina nascuntur, verumque venenum stupefactivum sunt: Non enim raro evenit, ut incauti homines, frumenti hujus abortivi dulcedine illecti, sibi morbos, imo mortem, devorent. Quodsi igitur integras segetes malum illud eorrupit, nec magno studio grana spuria a genuinis separantur; potest sane fieri, quo stupores, lethargi, apoplexiæ, mortesque aliæ repentinæ eveniant. De frumento vetustate vel mala asservatione corrupto idem Autor sect. I. c. II. sequentia protulit: quodsi frumentacea grana, negligentius habita, corruptelam acceperunt; putredinem istam nulla ars, etiam si panis bis coctus inde conficiatur, extinguit, & ab ejusmodi putrida farina comesta febrium malignarum caussæ proficiscuntur.

Obs. I. Secale corniculatum atque lolium temulentum, in parca quantitate, secali atque hordeo admixta, notabile quidem damnum facere nequeunt; sed majori copia e. g. ad quartam, tertiam vel dimidiam partem, cum secali crescens, ut, annis hujus sæculi LXX & LXXI. justo pluviosioribus, in nonnullis Hassiæ superioris locis sterilioribus, & maxime in novalibus, factum est; morbum epidemicum spasmodicum, pedetentim incrementa sumentem, diuque durantem, nec,

nisi alimentis mutatis, superabilem, vulgo die Krübelkrankheit dictum, utique produxit, qui multis variisque symptomatibus, cardialgiis, doloribus colicis, vomitu, diarrhoea, bulimia, formicante artuum dolore, digitorum corporumque contractione, motibus febrilibus, spasmis, convulsionibus, opisthtono, vertigine, cepha lalgia, mentis stupore, deliriis, sopore in mortem abituro, &c. stipatus fuit.

Obs. II. Salem volatilem impurum, acrem atque narcoticum illi inesse, aquam appropriatum ejus menstruum esse, fermentatione ejus noxiam augeri, panemque ex illo confectum recentem, præ veteri, nocere diaetam in melius mutatam, antispastica, acida, appropriata evacuantia, atque extremitatum fricationes optima contra hunc morbum remedia fuisse, experimenta docuerunt. Vid. Cel. Dn. C. L. Nebel in diss. de secali cornuto ejusqua noxis, experientiis atque experimentis nixa. Giessæ 1771.

§. LX.

Olerum puritas.

Olera venum exposita, nec insectis acribus conspurcata, nec plantis venenosis, acribus vel narcoticis e. g. cucuta majori (conio maculato) minori, napello, solano officinali, furioso (Belladonna) datura, hyoscyamo &c. inquinata sint. Fungorum venenatorum suspectorumque, e. g. agarici muscari Fliegenschwamm, fimetarii Krötenschwamm, boleti pileolo magno crasso infe-

ferius luteo giftige Schweinspilze, lycoperda boviſtæ, fungi parvi ruſſi C. B. vulgo vaccini, fungi ſordide fulvi in conum faſtigiati Raii, Amanitæ faſciculoſæ luteæ Dillen aliorumque, maxime locis paludoſis genitorum nec non fructuum horæorum imonaturorum vel cum virulentis e. c. cum ſolani furioſi baccis remixtorum, venditio quoque interdicta ſit. Moderatus autem fructuum horæorum maturorum eſus nemini nocet, & ex ſubreptionis vitio fit, ut dyſenteriam, menſe Auguſto, ob nimiam äeris viciſſitudinem, ſubinde epidemice graſſantem, prunis cereis innocuis nonnulli adſcribant. Plantarum venænatarum notitia in vulgus, publicanda, illarumque, quantum fieri poteſt, eradicatio procuranda eſt. Vid. Joan. Matth. Fabri ſtrichomania, explicans, ſolani furioſi recent hiſtoriam, Auguſt. Vindel. MDCLXXVI. Jo. Jac. Wepferi hiſtoria cicutæ aquaticæ, Baſil. MDCCXVI. Chriſtoph Conr. Sicelii tr. de Belladonna vel ſolano furioſo, Jenæ MD CCXXIV. Commercium literar. Norimb. MDCCXXXI. §. CLXXVIII.

§. LXI.

Carnium putridarum noxa.

Animalium morbidorum, vel morbis interemptorum, carnes aut vetuſtate corruptæ,

ut & pisces mortui atque putrescere incipientes, neutiquam veneant, & laniis, piscatoribus, salsamentariis, talium venditio sub gravi pœna prohibita sit. Cel. Jo. Frn. Hebenstreit l. c. sect. I. c. III. §. VI. putridum omne, inquit, naturæ inimicum est, & synochon putridam victus animalis putrilago accendere potest. De mytulorum quorundam noxia. Vid. Cl. Rud. Aug. Behrens comment, de morbo maculoso hæmorrhagico & noxiis nonnullis mytulis. Brunsv. MDCCXXXVII.

§. LXII.

Potulentorum puritas.

Respectu purarum aquarum civibus ante omnia prospiciendum esse, in sequentibus propositurus sum. Reliqua potulenta quod attinet, cerevisiæ mulsiue coctoribus, ut hæc probe cocta, bene fermentata, nec ullis malis artibus inquinata sint, serio injungendum est. Vini ex fructibus horaeis maturis fermentatione parati, aceti atque spiritus vini & frumenti venditores, ut hæc omnia recte præparata, nec ullis nocivis adultera sint, merito conguntur. A vinorum adulteratione, saturninis aliisque nocivis committi solita, œnopolæ severioribus pœnis absterrendi, atque ad ejusmodi fraudes præcavendas, detegendas atque punien-

niendas, vinorum a personis suspectis peregre advectorum, & publice prostantium, Magistratus jussu, ab arte peritis docimasia sæpius instituenda est. Omnes ejusmodi fraudes non sub gravium pœnarum minis solum interdicendæ sunt; sed etiam in dolosos legum transgressores, sine personarum respectu, graviter animadvertendum est. Vid. Eberh. Gokel in der Beschreibung der, durch Silberglöte versüßten Wein, entstandenen Weinkrankheit. Ulm 1697. Cl. Jo. Zelleri diss. qua docimasiam, signa, caussas & noxas vini lithargyrio mangonisati exhibet. Tübingæ MDCCXVII. Cl. Henr. Geor. Mathiessen diss. de vinis lithargyrio infectis, & colica paretico-convulsiva ex eorum haustu oriunda, Gryphsiv. MDCCXLV. Cel. Sam. Theod. Quelmalzii diss. de vinis mangonisatis, Lipsi. MDCCLIII.

Obs. Vinis lithargyrio adulteratis detegendis liquor docimasticus ex auripigmento & aqua calcis viva coctione, vel digestione, recens paratus, qua hepar sulphuris arsenicale obtinemus, adhiberi debet. Hoc liquore successive ac sufficienter instillato, pro diverso adulterationis gradu, sedimentum rubeum, purpureum, vel nigrescens in vino apparet; sed vina genuina, etiam

oligophora, hoc phænomenon non exhibent; ſed paululum, maxime circa vaſis fundum, palleſcunt.

§. LXIII.

Mala alimentorum præparatio & aſſervatio.

Non ingredientia nociva tantum; ſed & mala alimentorum præparatio & aſſervatio, illa valetudini inimica reddit v. c. ubi ſemicruda apponuntur, incongrua inter ſe miſcentur, quæ, probæ digeſtionis loco, fermentationem in ventriculo, vel corruptionem ſpontaneam, ſubeunt, atque nocivam acrimoniam producunt. Si cereviſia, panis, placentæ, neque probe cocta, neque rite fermentata, ſunt. Ubi alimenta, inprimis ſalſa atque acida, in vaſis cupreis, aurichalceis, plumbeis, vel adulteratis ſtanneis, cocta vel aſſervata ſunt; quibus uſibus vaſa fictilia atque ferrea multo aptiora ſunt. Vid. Cel. Jo. Henr. Schulzii diſſ. qua mors in olla, vel contagium metallicum, in ciborum, potuum & medicamentorum præparatione & aſſervatione, cavendum, indicatur. Altorf 1722. recuſa 1729. Ill. Andr. Büchneri diſſ. de circumſpecto uſu vaſorum ſtanneorum ad potuum ciborumque ex ovis conficiendorum præparationem neceſſario. Hallæ Magd. MDCCLII. Rouſſeau von der Schädlichkeit des Kupfergeſchir-

schirres in der Haußhaltung. Erlang 1753. Cel. Sam. Theod. Quelmalcii progr. de vasis æneis coquinæ famulantibus, Lips. MDCCLIII. Joh. Balth. Phil. Potts nützliche Gedanken und gründliche Untersuchung der metallnen Geschirre. Dreßden 1754. Cl. Jo. Henr. Joh. Baueri diss. de metallorum noxa in alimentorum & medicamentorum præparatione cavenda, Praegæ MDCCLVII.

Obs. Cum sectionibus atque demonstrationibus, ante tria fere lustra, adhuc præessem, intra paucas hebdomades, ex ædibus, ubi pauperes, Magistratus jussu, fila ducendo victum quærebant (Spinnhäußern) inconsuetus ninniusque corporum mortuorum numerus in theatrum anatomicum mitteretur, pluresque ægrotarent; mihi hoc suspectum esse, medico illorum pauperum ordinario innuebam. Cum vero ille morbi causam ignoraret; ego, a Magistratu id jussus, in omnia accuratius inquirens, morbi causam in ciborum in cupreo aheno asservatione reperiebam. Culinam enim ingrediens dictum ahenum, quod mediam partem, lentium decocto plenum, hujusque superficiem hinc inde viridi colere tinctum inveniebam. Aedium præfectus hoc, quid sibi velit mihi roganti, in hoc aheno cibum indies residuum ad posterum diem servari, res-

respondit. Hac morbi caussa remota, & morbi & mortes cessabant. Ab illorum igitur partibus, qui vasa cuprea ad quorumlibet ciborum coctionem atque asservationem idonea atque innocua esse, perhibent, minime stare possum.

§. LXIV.

Autorum Testimonia.

Cel. Jo. Bohnius de officio Medici duplici pr. II c. IV. §. DCIII. inter cæteras, inquit, Magistratus curas non ultima sit, ut civitas ab alimentorum insalubriuu usu, hujusque offensis immunis vivat. Medicorum quoque, ut pote qui sanitatis tuendæ artifices sunt, judicium, ex inspectione maxime captandum, expectetur, an v. c. frumenta semi putrida &c. Panes minus recte fermentati, carnes animalium vitiosæ vel morbosæ, aquæ limpidæ & claræ &c. sint? Perill. L. B. de Wolf l. c. c. III. §. CCCLX XXIX inquit: Man hat fleißige Aufsicht nöthig, daß keine ungesunde Speißen auf den Mark gebracht, in den Wirthshäußen und Garküchen die Speißen recht zubereitet, die Bierbrauer und Schenken vor einen guten Trunk sorgen, absonderlich aber die Weinschenken den Wein nicht verfälschen und verderben.

§. LXV.

§. LXV.

Pharmacopoliorum panoplia.

Medicamentis præstantissimis recentibus · que pharmacopolia sufficienter instructa sint. Inter hæc remediorum simplicium, maxime indigenorum, primaria ratio habenda est; ne cara talium exoticorum, quibus indigena respectu virium paria, quin potiora, cœmtione ac pretiosiore venditione ægrotorum, inprimis tenuiorum, fortunas, præter necessitatem, atteramus. Ex bonæ notæ simplicibus, pro re nata, ad Medici prudentis præceptum, composita, cuivis casui accomodata, a pharmacopœo concinnari possunt. Ex pharmacis compositis nonnisi præstantissima usitatissima atque corruptioni haud subjecta, in officinis prostare debent. Reliqua, ex diffusa ineptaque farragine conflata, ac vetustate, fermentatione, aliave causa corrupta, pharmacopoliis oneri, aegrotis damno, & Medicis dedecori sunt, atque ex officinis merito exturbantur. Teste Cel. Jo. Ern. Hebenstreit l. c. sect. I. c. III. §. VI. negandum non est, corpora pharmacevtica sua mole fere opprimi, possumusque magna rerum superfluarum copia carere, sumptusque minuere, quos tabernarum myrepsicarum magistri utilibus & usitatoribus pharmacis impendere possent.

Plu-

Plura de hac re in historia lapidum pretiosorum & terrarum lapidumque in usum medicum hactenus vocatorum, Francofurthi MDCCLXXI. edita, proposita sunt. Vid. Cel. Dan. Ludovici pharmacia moderno sæculo applicanda, sæpius edita. Cel. Jo. Gottfr. Brendelii diss. de vanitate plurium medicamentorum, Gœttingæ MDCCXXXVI. Cel. Geor. Rud. Bœhmerii diss. de justa plantarum indigenarum in pharmacopoliis reformandis æstimatione, Witenb. MDCCLXX.

§. LXVI.

Eorum visitatio.

Pharmacopoliorum visitationis publicæ, a Magistratu sæpius v. v. annuatim, vel singulo biennio, at sine magno sumptuum impendio, ideo adornandæ sunt, ut suppletis omnibus defectibus, atque correctis erroribus, publica illis fides haberi possit. Subdelegati, a summo Magistratu constituendi inspectione, a collegio medico, vel physicis, vel utrisque materiæ medicæ atque pharmaciæ peritissimis, suscipi debent. Ab his in corpus pharmacevticum seu remedia simplicia, an recta quantitate ac qualitate adsint, & in corpus chymicum, seu in quantitatem & qualitatem pharmacorum compositorum usitatiorum, accurate inquirendum est. Ad posteriorem inquisitionem

recta-

rectæ præparationis, & ad utramque, rectæ asservationis, in vasis locisque convenientibus dijudicatio pertinet. Defectus atque errores omnes a visitatoribus annotandi, a pharmacopœo sine mora corrigendi, & correctionis peractæ documenta visitatorum oculis postea subiicienda sunt; qui dein peractæ visitationis rationem Magistratui reddunt. De personis visitatoribus Cel. Jo. Bohnius in officio Medici duplici pr. II. c. II. §. XI. sententiam suam sequenti modo protulit: quia commodius & perspicacius de materia medica Medici judicare possunt, tamquam pharmacopœi dogmatici, non mere empirici, quales nostri stationarii sunt; sine horum opera officinarum publicarum visitationes peragi solent ac possunt. Nonnisi in taxa formanda admitti debent. Autori nostro non de doctis pharmacopœis sermonem esse, ex ipsis verbis clarum est.

§. LXVII.

Privata visitatio.

Cuilibet Doctori medico, in rectam pharmacorum indolem, quibus in medicina facienda uti solet, privatim inquirere licet; in primis, si ab iis, quorum officium id exigeret, non satis de publicis officinarum visitationibus reipublicæ prospectum est; id enim & ægrotorum salus, & Medici religio

gio atque fama desiderant. De hac re Cel. Jo. Ern. Hebenstreit l. c. sect. I. c. III. §. VI. ita sensit: quanta Medici erga pharmacevtas ferantur fiducia, quandoillos suæ voluntatis administros atque executores constituunt, quilibet intelligit. Sæpe consilium in re optimum successu, ob auxilii ineptitudinem, destituitur; sæpe effectus voluntati oppositus consequitur; si medicamentum vel secus, quam jussum fuit, exhibeatur, vel debita dexteritate haud præparetur. Ex quibus non obscurum est, Medici quam maxime interesse, ut medicamentorum præparationibus invigilet.

§. LXIIX.

Personarum medicinalium cum pharmacopœis collisio.

Pharmacopoliorum, ad leges publicas æque bene instructorum, partes suscipere, vel offendere, neque Medico, neque aliis personis medicinalibus, licitum est; sed omnibus ægrotantibus, in quonam pharmacopolio medicamina sua præparari velint; libera optio juste relinquitur. Secus agentes iniqui, & a Magistratu cohibendi, quin & puniendi sunt; inprimis si turpe aliquod pactum inter personam quandam medicinalem & pharmacopœum, utriusque avaritiæ alendæ caussa, initum fuerit.

§. LXIX.

§. LXIX.

Privata Medicorum dispensatio.

An, ut pharmaca sua Doctores medici ipsimet præparent, atque ægrotis suis distribuant, e re publica sit? diiudicandum est; cum hoc in nonnullis provinciis permissum, in aliis vero prohibitum sit. Primis temporibus pharmaca sua Medicos composuisse, atque in curandorum usus convertisse, nulli dubio subiacet. C. Plinius in histor. natur. l. XXXV. c. XI. suo iam tempore Medicis pharmaciæ neglectum, & fiduciam in officinis pharmacevticis collocatam sequentibus verbis obiicit: Medicorum pars major a medicamentis conficiendis abest, quod esse proprium medicinæ solebat Nunc credunt seplasiæ, ea omnibus quidem fraudibus corrumpenti, factaque iam pridem emplastra & collyria mercantur, tabesque mercium. Nec, Medicos historiæ naturalis atque chymiæ probe gnaros pharmacis dijudicandis atque conficiendis pharmacopœorum vulgo longe aptiores esse, inficias ire possumus; licet inter pharmacopœos plures chymiæ pharmacevticæ regulis atque usu rite imbutos esse, utique concedendum sit. His accedit, quod Medicus, cujus multas ob rationes, non autem æque pharmacopœi, interest, ut cum valetudine secunda

ægroti in gratiam redeant, pharmacis a se rite elaboratis, tutius, quam aliis, fidere possit, & si ægrotis suis aequo pretio pharmaca sua vendit, id sine reipublicæ damno fieri posse, autumo. Quin si in loco, ubi artem suam Medicus exercet, nullum, vel male instructum, nec emendationem admittens, pharmacopolium est; ut pharmaca sua ipse Medicus præparet, necessitas exigit.

§. LXX.

Bohnii Testimonium.

Quæcunque de hac re commode dici possunt, a Cel. Jo. Bohnio in officio Medici clinici c. XXI. §. CDXXIX sequenti modo enunciata sunt: sub artis primordiis Medici ipsi sua medicamenta concinnarunt, imo totum eorum officium aliquam diu solam chirurgiæ atque pharmaciæ administrationem complectebatur; adeoque ut tunc temporis nullum pharmacopolium, præter Medici officinam, exstiterit. Insequentibus, cum sæcula barbara ingruerent, contigit, ut Medici genuini magis magisque deficerent, & eorum famuli, se satis sapere, sibi persuadentes, lucro allecti, illorum directorio se subtraherent, & si non ipsimet medicinam facerent, pharmacopolia tamen propria instituerent, alienamque artem sibi peculiarem

rem atque propriam redderent. Quod quidem eo facilius efficere poterant, cum molesti illi artis amplitudini, se magis Medicorum nonnulli subtrahebant, & ministrorum illorum numerus indies crescebat; hinc artem pharmaceuticam opificiariam reddebant; usque dum, laboribus crescentibus, alios servos ministrosque sibi adjungerent, & Magistratus autoritate eorum tabernæ publicæ evaderent, tandemque in monopolium abirent; si non semper in miserorum salutem, certe pro crumenis pharmacopolarum locupletandis. Ex quibus probis cordatioribusque omnibus dijudicare licebit, an pharmacopolis injuriam faciant, noceant, victum præripiant, ac peccent Medici, pharmaca investigando, parando ac distribuendo, id est jure suo connato ac perpetuo utendo? Cum ipsimet etiam Medici, ut olim sic & nunc, systemata & dispensatoria pharmaceutica conscribant, & in scholis suis hujus generis dogmata tradant. Praeter Medicum, nemo rectius & artificiose magis, id est cum recta & ex fundamentis physicis petita ratione hoc efficere potest, qui eorum materiam dignoscit, horumque texturam & partes integrantes, & qua lege, sub ipsa præparatione ac miscela, facultates eorum medicamentosæ integræ serventur, novit; quod a pharmacopœo ἀφιχοσσοφῶ

haud expectandum est. Subsequentium etiam temporum Medici excellentiores sua fecerunt & ægris porrexerunt remedia, postquam pharmacopolia publica introducta, & pharmacopœi operarii in publicum prodierant.

§. LXXI.

Juris hujus limitatio.

Cum autem, ex mea sententia, Medicorum potius sit, diligentissima scientiæ salutaris cultura, optimorum librorum lectione, crebriorum experimentorum, ad eruendas stabiliendasque veritates anatomicas, physicas, chymicas, & chyrurgico-medicas, adornatione, sollicita ægrotorum visitatione, docta formularum medicarum exaratione, indefessa ad morbi symptomata, causas, mutationes, remediorumque operatione attentione, periculorum in utraque valetudine imminentium averruncatione, docta observationum atque experimentorum suorum cum publico communicatione, vices suas pro virili explere, & sic reipublicæ quam utilissimos esse; illis sane, quævis pharmaca conficiendi, neque otium, neque sæpius fortunæ suppetunt: Etsi quædam pharmaca, industria sua inventa, usuque probata, in praxi sua adhibere, illis licitum sit. Attamen & hic cavendum est, ne cum religionis

nis ac famæ suæ detrimento, id ex sola lucricupidine, fiat, & pro arcanis vulgaria vel vana venditentur.

§. LXXII.

Aliæ rationes.

A sic dictis arcanis, in curatione pluribus Medicis communi, prorsus abstinendum est; quia collegarum suorum consensum, ad ejusmodi remedii usum extorquere, iniquum esset atque absonum. Cum præterea usu venire soleat, ut, in morborum curationibus, admissorum errorum & Medici & Chirurgi insimulentur, quin subinde eorum accusent; tunc præscriptis suis formulis, in pharmacopolio vel archetypo, vel de scriptione, asservandis, optimam curationis suæ defensionem suscipere possunt; quod in privata pharmacorum dispensatione non obtinet.

§. LXXIII.

Medicorum pharmacopolia publica.

Quandoque etiam accidit, ut pharmacopolium publicum Doctor medicus possideat; id quod tamen Friderici II. Imperatoris constitutione, quæ penes Cel. Lindenbrogium in cod. LL. antiqu. l. III. constit. Neapolit. tit. XXIV. c. III. exstat, interdictum, nec in

provinciis quibusdam conceſſum eſt. Sed, ubi in loco aliquo nonniſi unicum pharmacopolium eſt, medicamenta in illo rite præparantur, æquo pretio ſecundum leges publicas venduntur, ejusque viſitatio aliis medicis concreditur; nihil damni res publica inde capere videtur. Ubi vero plura uno eodemque loco pharmacopolia ſunt; tunc hoc non ſine reliquorum pharmacopœorum incommodo atque damno eſt; nam ejusmodi Medico - pharmacopœos præſcriptas in praxi clinica ſua formulas aliis etiam pharmacopoliis æque diſtributuros eſſe, neque probabile, neque uſu compertum eſt.

§. LXXIV.

Pharmacorum nundinatio.

Sæpius etiam contingere aſſolet, ut certum quoddam Doctorum medicinæ genus, Pharmacopœi, chymici, Chirurgi, hypocritæ, agyrtæ & ſycophantæ, neſcio quæ arcana, ſplendidis ridiculisque panacearum, auri tincturarum cordialium, haemotocarharticorum, alexipharmacorum, univerſalium, nonnunquam divinitus, ſi diis placet, revelatorum, titulis exornata in nundinis publicis venundent, vel vendi procurent, in libellis, ſchedis atque ephemeridibus deprædicata annuncient, ebuccinent, in ſtationibus divendant, & circumvagorum auxilio ubi-

ubivis terrarum distribuant, atque, vulturum esurientium instar, dementis credulæque plebis crumenæ inhient, eamque argento emungant, ejusque valetudini turpissima ratione obsint; cum tamen plerumque nisi pharmaca trita, proletarie confecta, imo quandoque drastica & nociva, extrudant. Ponamus vero etiam, inter hæc subinde bonæ notæ medicamenta occurere; nulla tamen nisi relative bona dari, quin optima alieno loco atque tempore adhibita, morbo scilicet siniſtre dijudicato, nociva esse, consentientibus ratione atque experientia, audacter asserimus. Ut igitur stolidæ, semper minorennis miseræque plebis, Magistratus patrocinium gerat, firmumque huic damnoso torrenti obicem ponat, nec, ab ejusmodi nauci hominibus ac nebulonibus cives valutudine secunda & fortunis impune fraudari, sinat, reipublicæ quam maxime inter est.

§. LXXV.

Hebenstreitii Testimonium.

Cel. Jo. Ern. Hebenstreit l. c. S. I. c. III. §. III. nihilo pluris, inquit, quam agyrtæ, faciendi sunt eruditi illi medicamentorum institores; dum, a se auxilia his aliisve, velut nugantur, morbis salutaria, inventa esse, persuadere intendunt, suasque merces

maximo suo, aegrotantium autem nullo commodo, saepe damno, longe lateque divendunt Condonandum neutiquam est, quando sunt, qui, libellis ad exteros missis, nescio quas suis inventis virtutes attribuunt, & gladium saepe tradunt, quo se aegroti trucidant, si, magna ergo celebre medium delati fiducia, inconsultis Medicis, pharmacum accipiunt, quod morbi caussae, tempori, viribus aetati, sexui, aliisque singularibus hominum conditionibus, minime accommodatum est. Nec peregrinas illas medicamentorum formulas novellis publicis divulgare, licitum est, quas penitus exulare oportet; cum alia, quam, quae ex natura praesentis morbi inveniuntur medicamenta, salutaria esse nequeant.

§. LXXVI.

Medicamentorum Taxa.

Pharmacis a Magistratu justum quoque pretium dicendum est; ut pharmacopoei, illis coemendis, praeparandis atque asservandis operam dantes, habeant, unde vivant, suamque alant familiam; nec tamen emptores iniquis graventur exactionibus. Cum vero pharmacorum, inprimis exoticorum, pretia, pro eorum raritate, advectionis difficultate, & mercatorum lucri cupidine ac fraudibus, vel pro eorum ubertate, majori

fori allata copia, mercatorum spe frustrata, modo augeantur, modo minuantur; in illud singulo semestri spatio, peractis scilicet nundinis celebrioribus v. c. apud Germanos Francofurtensibus ac Lipsiensibus, studiosius inquirendum, aequi & certi aliquid in pharmacorum taxa statuendum, publicandum, & per totum illud tempus stricte servandum est.

§. LXXVII.

Litium de pretio decisione.

Ubi vero de pretii aequitate emptores vel debitores ambigunt; tunc, auditis prius Medicorum collegiis, collatisque cum debiti catalogo formularum schedis originariis, & pharmacorum taxa subsistente, lis a Magistratu, secundum Medicorum pronunciationem, justum & aequum, dirimenda est. Ut autem Medici ad pharmacorum pretia formularum schedis statim subscribenda adigantur, irrita postulatio est, quam res ipsa non admittit; majora enim illis incumbunt negotia, scilicet in morbos inquirant, aptissima contra illos remedia praecipiant, ad morbi decursum, ac mutationes, atque ad aegrotorum diaetam remediorumque effectus animum advertant. Neminemque eorum esse, arbitor, qui tot simplicium atque compositorum pretia variabilia in recente memoria

habeat. Quin in constituendis quorundam pretiis, taxam evolvere, ipsismet pharmacopœis opus est. In debiti catalogo consuetas, quantum fieri potest, denominationes, una cum illorum pondere, ut designent, nec in nimis generalibus atque ambiguis subsistant, pharmacopœi adigendi sunt. Sine medicorum aut chirurgorum formulis ad curationes pharmaca promere, propria manu debitum consignare, ejusque solutionem solo hoc fundamento poscere, tamquam illicitum & valde suspectum, minime illis concedendum est.

§. LXXVIII.

Instrumentorum Chirurgicorum apparatus.

Cum graviores casus chirurgici, variarum machinarum atque instrumentorum apparatum exigentes, subinde incidere soleant, nec tenuiorum fortunarum chirurgi aere suo illa comparare possunt; cariora sumptibus publicis coëmenda, studiose asservanda, &, re exigente, chirurgis mutuo danda sunt; ne, si læsi ob intermissam operationem pereant; inanis ab instrumentorum defectu excusatio petatur. Instrumentis fini suo rite adaptatis operationes difficillimas facillimas reddi, Wilh. Fabric. Hildanus epist. XXVI. recte judicavit.

§. LXXIX.

§. LXXIX.

Civium institutio diætetica.

Ad consequendam conservandamque felicitatem, evitandaque damna, officia sua nosse, cujuslibet hominis interest. Id respectu cultus divini, in puerorum educatione ubivis gentium, ratione meliore deterioreve, & quidem in casu priore recte peragitur. Sed officia civilia atque regulas diæteticas a teneris addiscere, modo non ubique negligitur; cum tamen, quod præcaveri potest, admittere, stultum est. Si officia sua cives melius noscerent; & culpæ & pœnæ sæpius præscinderetur occasio. Ubi, quid respectu conservandæ sanitatis morborumque evitandorum, in vita communi agendum fugiendumque esset, apud omnes, saltim quoad regulas scitu maxime necessarias, constaret; multi morbi evitarentur, nec intempestive pluribus civibus, suisque præsidiis respublica atque familiæ privarentur.

§. LXXX.

Aëris puritas.

Cum civium sanitatem aëris puritas quam maxime juvet; ne ille effluviis impuris, acribus & putridis corrumpatur, a Magistratu procurandum est. In urbibus atque vicis

vicis plateæ fimi aliarum sordium collectione, cloacarum effluviis, & putrescentium projectione, inquinandæ non sunt. Rivi, fossæ & aquæductus illos transeuntes, vel circumdantes. saepius depurandi, liberoque effluxu donandi sunt; ne sordium collectione & stagnatione noceant, putridisque effluviis aërem inficiant. Perill. de Wolf l. c. c. III. §. CCCLXXIX. inquit: Die Luft wird durch den auf den Gassen liegenbleibenden Unrath unrein; man hat daher fleißige Aufsicht zu haben, daß sie beständig sauber und reinlich gehalten werden, und man allen Unflath bey zeiten hinaus schaffe. Opificiorum immundorum, putridasque exhalationes spargentium e. g. cordonum, officinæ non in urbium vicorumque locis frequentioribus tolerandæ, sed in remotiorem aliquem angulum relegandæ sunt. Monente Cel. Jo. Bohnio l. c. pr. II. c. IV §. DCVIII. artes immundæ atque opificiorum exhalationes atmosphæram corrumpentes, pestis aut quovis tempore, salutis publicæ causa, prohibeantur, aut ad loca commodiora ablegentur.

§. LXXXI.

Corporum mortuorum effluvia.

De functorum corpora in templis, soli scilicet cultui divino sacris, non sepelienda, & cœmeteria non in urbibus vicisque, sed in

in loco ab illis remoto, habenda sunt. Brutorum cadavera non ad vias publicas, vel prope urbes vicosque proiicienda; sed in terram defodienda sunt. Maleficorum supplicio affectorum corpora non ad vias regias, sed in loco altiore, ab his distante, visui, in sceleratorum terriculamentum, non autem oderatui patente, exposita sint. Vid. Ill. Frid. Hofmanni diss. de aëris potentia in epidemicorum morborum generatione. Halæ Magd. MDCCXXVII. Cl. Jo. Christ. Ehrlichii tr. de morte ex sepulcris seu de noxis ex sepultura in templis facta oriundis, ibid. MDCCXXIX.

§. LXXXII.

Aquæ stagnantes.

Dum præter ea putredinem, tam hominibus, quam brutis animalibus noxiam aquæ stagnantes concipiant, aërem, in quem continuo exhalant, simili putredine particulariter inficiant, morbisque epidemicis ansam præbeant; ut illis liber defluxus concilietur quovis possibili modo procurandum est. Scrobes vero, eum non admittentes, terra lapidibusque, quantum fieri potest, repleantur. His cautelis rite adhibitis, loca ante insalubria salubriora reddita fuisse, experientia docuit. Vid. Cel. Jo. Zach. Platneri progr. de

pestiferis aquarum putrescentium exhalationibus. Lipsi. MDCCXXXXVII.

§. LXXXIII.

Aquarum puritas.

Cum aqua ad potum, ciborum variorumque potulentorum coctionem, pharmacorum præparationem, aliosque usus, admodum necessaria sit, atque illa, prout pura vel impura est, sanitati proficua vel noxia sit; reipublicæ multum interest, ut, nisi scaturiginum puriorum rivuli per se in loca habitata defluant, vel putei in puris terræ stratis fodi possint; arte illuc deriventur. Montes petrosi, scissilium plerique, gypsei, arenosi, atque argillosi aquam puram, calcarii vero atque lutosi, nec non strata tophacea atque limosa, impuram largiuntur; aquæ enim, teste C. Plinio in histor. nat. l. XXXI. c. IV. tales sunt, qualis terra est, per quam fluunt; prout scilicet hæc illis irresolubilis vel solubilis est. A puteis putrescentium injectio, atque immunda rivorum ac fluminum exundantium illuvies arceatur, & fimeta brutorum stabula, atque cloacae ab illis remota sint. Ipsi quoque putei sæpius purgandi, collectusque limus aliæque impuritates eximenda sunt; ne aquæ cœnosae, ingratæ, atque insalubres reddantur. Cel. Jo. Ern. Hebreit l. c. sect. I. c. II. §. VIII. Et homini, inquit, & pecudibus interest, aqua frui posse,

posse, quæ peregrinæ vel nocentis rei nihil in se susceperit. Deberent autem urbes magna hominum frequentia celebres fontanis aquis, subdiali petra natis, haud destitui, & consultum quidem foret, illas etiam ex loginquo arcessere, atque in urbes, ad communem usum, convehere. Si nulla arte in locum quendam scaturigo pura adduci potest; aqua pluvia in tectum cadens canaliculis, ut apud Batavos fit, excipienda, atque in cisternam, sæpius expurgandam, derivanda est.

Cap. VI.

De avertendis sanitatis & vitæ periculis.

§. LXXXIV.

Aquarum inundatio.

Civium fortunis, valetudini secundæ, quin & vitæ, aquarum inundationes, in primis altæ, admodum nocivæ sunt; quando post subitam altæ nivis regelationem, vel cœlum diu multumque pluvium, amnes irritantur, & vaga ripis suis flumina labuntur, vel mari majoribusque fluminibus oppositi aggeres, a nimio aquarum affluxu undisque retortis subito rumpuntur. Omnia influviis libero aquarum defluxui obstantia removendo, & aggeres satis firmos altosque aquarum irruentium vi opponendo, pericula hæc arcentur. Ubi autem diluvia averti nequeunt, ibi domos, vicos ac urbes exstruere, tutum non est;

id

id quod a pluribus ejusmodi loca periculosa olim inhabitantibus, tristi interitu, comprobatum est. Vid. Cel. Jo. Mar. Lancisii tr. de adventitiis cœli Romani qualitatibus, Cl. Christ. Gottfr. Schulzii diss. de noxiis inundationum effectibus. Erfordiæ MDCCXXIX. Cel. Ant. Guil. Plazii duæ diss. de removendis sanitatis publicæ impedimentis Lips. MDCCLXXI.

§. LXXXV.

Incendia.

Incendiis civium vitam, sanitatem atque fortunas sæpius periclitari, tristis experientia quoque evicit. Aedificiorum ex materiis ignem vel prorsus non, vel difficulter, concipientibus v. g. ex lapidibus, lateribus coctis vel crudis & ligno querno, non autem ex tædis, pinis & abjetibus, tectisque stramineis arundinaceisve, constructio, nec non si domus spatio quodam, vel saltim angiportibus, inter se distant, nec continuæ vel admodum contiguæ sunt, incendiorum damna præcaventur, vel saltim eorum impetui extensionique mora ponitur. Camini ex lateribus, non autem trabibus ac macerie constructi, & facilioris purgationis caussa, satis ampli atque converritori pervii sint; ne per illos dilapsus vulcanus, summum tectum domumque incendere, properet. Fulmi-

nis

nis urentis damna perticis ferreis avertere, nonnulli iam fatagunt. Incendiorum evitandorum cautelæ & extinguendorum prompta adminicula ad politiam communem pertinent.

§. LXXXVI.

Vulcani officinæ.

Officinæ fusoriæ, vitriariæ, aliæque pulveri pyrio, spiritibus inflammabilibus præparandis, cerevisiæ, lateribus aliisque fictilibus coquendis dicatæ, laboratoria chemica, & hypocausta lino torrendo destinata, rite exstructa & una cum omnibus materiarum inflammabilium, ignemque facile concipientium v. c. lignorum, carbonum, fenu, straminis, maxime autem pulveris pyrii, receptaculis ac promptuariis a civium domibus remota sint.

§. LXXXVII.

Pulveris pyrii asservatio.

Non magna pulveris pyrii copia uno eodemque loco, nec in contignationibus aedium inferioribus, sed sub tecto, vel potius ejus ingredientia iam præparata, ex quibus, re exigente, facile confici potest, seorsim asservanda sunt. Præterea cuiuscunque ignis in ejus receptacula illatio, vel in illis excitatio, gravium pœnarum comminatione

prohibenda est. Vid. Cel. Jo. Petri Eberhardi Vorschläge zur bequehmen und sichern Anlegung der Pulver Magazine. Halle 1771.

§. LXXXVIII.

Causſæ nocentes particulares.

Civium vitæ ac sanitati inimicæ causſæ particulares quoque occurrunt. Huc foveæ, & putei depressi haud contecti, præcipitia, viæ vehementer corruptæ, ponticuli fossarum transitum male conjungentes, pontesque fluminibus impositi male fabricati, vel aquarum injuriis aut vetustate corrupti, ex quibus iter facientes facile præcipitantur, aliaque pertinent. Hinc, ut foveæ, inprimis juxta vias sitæ, repleantur, putei conteganter, præcipitia antibus adminiculisque firmentur, viæ, inprimis regiæ, emendentur munianturque, ponticuli ac pontes firmiter construantur, vitiosique quantocyus reparentur, providi & de civium salute solliciti Magistratus est. Consimilibus etiam cautelis respectu aedificiorum male exstructorum, vetustate corruptorum, ruinasque minantium, opus est; ne, ob culposam ejusmodi incuriam, cives hospitesque irreparabilia damna capiant.

§. LXXXIX.

§. LXXXIX.

Duella & latrocinia.

In re publica bene constituta duella, & tanto magis latrocinia, severis legibus interdicenda, & gravibus pœnis cœrcenda sunt; civibus enim diffidentibus nonnisi lege agere, & Magistratui injuriam vindicare, convenit, & securitati publicæ tam domi, quam ruri, & in itineribus, prospiciendum est. Nemo in civitate toleretur, nisi qui honesta ratione victum suum quærit, neque peregrinis suspectis transitus vel temporaria commoratio concedatur; nisi syngrapho viatoris, non ficto, sed fide digno, præditi sint. A summo imperante hæc publicæ securitatis præstatio jure requiritur; sine qua neque civium sanitas, neque vita, satis in tuto est. Percussores atque latrones cum republica bellum gerunt, eorumque impunitas res pessimi exempli & periculi pleniſſima esset. Tutius etiam est, cives cerebrosiores, pacem colere nolentes, proscribere; quam propter malam unius alteriusve nebulonis mentem, tot bonos cives periculis obiicere. Homines imprudentes, rixosos atque suspectos, gladios atque machinas ignivomas gestare, haud liceat. Cel. Jo. Bodinus de republica l. IV. §. CDLXXXVIII. Lutetiæ Parisiorum, inquit, ne breviſſimos quidem

gladios ferre, bajulis licet; quod antea in contentionibus irati in cædem prorumperent. Eadem lex in omnes si valeret; plures cædibus ac seditione vacuas civitates haberemus. Neque enim prudentis legislatoris est parricidia tam acerbe ulcisci, quam, ne fiant, prospicere, & modis omnibus cavere; ut Medicus quisque peritissimus judicatur, non tam qui morbos curare, quam qui valetudinem tueri, & morbis occurrere, solet.

§. LXXXX.

Animalia nocentia.

Homines furiosi, feræ rapaces, jumenta cornubus vel calcibus obvios & adstantes quosvis petentia & pauperiem facientia, canes justo acriores, in quocunque impetum facientes, & animalia rabida, civibus periculosa, quin sæpius lethalia, vulnera infligere solent. Igitur furiosi sollicite custodiendi, omnique nocendi occasione privandi, feræ rapaces e medio tollendæ, jumenta nocentia sufficientibus adminiculis a custode continenda, vel removenda, canes acres catenis alligandi, vel eorum os loris constringendum, & de rabie suspecti actutum necandi, nec, ut in civium pericula, per plateas ac vias vagentur, ferendum est. Remedia contra animalium venenatorum atque ra-

rabidorum morsus utilia in promptu & publicata sint.

§. LXXXXI.

Carcerum conditio.

Sontes & de criminibus valde suspectos carceribus publicis detineri, illosque justas pœnas luere, ad securitatem publicam obtinendam, quam maxime quidem necessarium est: sed ita carceres comparati sint; ne ex illorum squalore, frigore, alimentorum prava qualitate vel defectu, aut justo arctiore membrorum constrictione, in illis detentorum sanitas laedatur; quam etiam justo diuturnior in illis detentio denique destruit: hæc enim injusta & Magistratu prorsus indigna, essent, nec ad rectam justitiæ administrationem pertinent. Lactentes una cum fontibus matribus in insalubres frigidosque carceres includere, eorumque sanitatem pessundare, injustissimum est. Quin ipsis fontibus ægrotis de loco salubriori prospiciendum est. Monente Ill. Strykio, pœna delictum non superet, vel ipsa custodia ac detentio in pœnam convertatur; quod Cel. Jo. Bohnius l. c. §. DCIV. ita interpretatur: ne carcer non tantum squalore nimio, insectorum, glirium, similiumque animalium, sed & frigore, tenebris, & vaporibus, morbis diversi generis gravioribus, imo incurabili-

bus ac lethalibus noceat, juſtoque atrocior ſit. Caſum inquiſiti, ad prætoris juſſum, catena ferrea majori circa hypochondria durius conſtricti, atque ad querelas ideo jactatas haud relaxati, pleuritide correpti atque demortui, idem autor l. c. pr. II. c. IV. §. DCV. retulit. Caſum pueruli lactentis una cum matre in carcerem frigidum detruſi, atque, ex judicum incuria, tumore totius corporis œdematoſi correpti, & catarrho ſuffocativo enecati, antequam in Haſſiam commigrarer, non ſine ſummo mœrore, obſervavi.

§. LXXXXII.

Morbi peſtilentiales.

Si in aliis regionibus, maxime vicinis, morbi peſtilentiales graſſantur, civibus omne commercium cum illis interdicendum, militibus ſtationariis inde venientes a limitibus arcendi, nec intra præfinitum tempus, exquo, illos contagio haud infectos eſſe, appareat, admittendi ſunt; imo & mercimoniorum inde allatorum invectio prorſus prohibenda eſt. Ubi vero morbus peſtilentialis domum, plateam, vicum, urbem vel provinciam quandam iam intraverit; ne ulteriores, easque graviſſimas, ſtrages edat, ſanis commercium cum illis actutum interdicendum, eorum autem ſaluti, reſpectu ſa-

sacrorum, Medicorum, chirurgorum, pharmacorum, alimentorum, atque ministrorum, curam illorum habentium, tamdiu prospiciendum est; usque dum morbus hic periculi plenissimus profligatus sit. Vestes, lectus, aliaque ægrotorum vel demortuorum utensilia Vulcano tradenda, vel profunde defodienda sunt. Tum temporis munditie tam in plateis, quam domibus, libero per has aëris perflatu, suffimigiis acidis, consimili diæta ac pharmacis, quam maxime opus est. Vid. Cl. Jo. Ewichii tr. de officio Magistratus tempore pestilentiæ, Neap. Nemet. MDLXXXII. Cl. Ascanii Centurii de Hortensiis l. v. observationum, constitut. & edictor. in peste Mediolanensi. Venetiis MDLXXXIX. Cel. Eliæ Camerarii diss. de peste certo avertenda. Tubingæ MDCCXXI. Cl. Matth. Frauendorferii diss. de modis pestem arcendi, Altorf. MDCCXXII. Constitutiones Saxonicas contra pestem vide in Cel. Jo. Christ. Lünigii codice Augusteo. MDCCXXXXVII. & MDCCLV.

Obs. Cl. Dn. Makenzie, Medicus Anglus, qui per VI. lustra pestis rationes Constantinopoli observavit, easque cum Dno. Jac. Portero communicavit, non universum aërem, sed tantum ægrotos proxime circumdantem, tempore pestilentiæ, corruptum esse, statuit. Loca, personas & res pestilentiali contagio infecta vitanda, non autem

regionis mutatione opus esse, recentiores observationes docuerunt. Christianos in Turcia degentes, procurata annona & domibus clausis, usque dum pestilentiæ tempus transierit, a contagio tutos esse, in Perill. L. B. de Swieten comment. in aphor. Bœrhaavii Tom. V. tit. de peste, relatum est.

§. LXXXXIII.

Epidemiæ contagiosæ.

Ingruentibus aliis morbis contagiosis, ut, quantum fieri potest, illi in herba suffocentur, a Magistratu quoque procurandum est. Huc dysenterias malignas, febres petechizantes, petechiales, aliasque malignas, variis exanthematibus, v. c. purpura, variolis, rubeolis, morbillis &c. stipatas, atque epidemice grassantes, referimus. Ab ejusmodi morbo laborantium visitatione omnes abstineant, quorum vitæ genus vel necessitas, ut illorum curationi intersint, non exigit. Ut vero morbi indolem, ex prudente symptomatum, causarum, juvantium & nocentium æstimatione ac collatione, morbi indolem, nisi jam satis nota sit, conjunctis viribus eruant, Medici adigendi sunt. Pauperibus pharmaca atque alimenta gratuito præbeantur, ipsique aegroti, quandoque refractarii, ut curationem rationalem admittant, autoritate publica adigantur; ne, propter miseriam, morbi ne-

glectum

glectum, vel malam ab empiricis tractationem, non ipsi solum pereant; sed & morbus periculosus latius diffundatur, atque etiam lautioris conditionis, altiorumque subselliorum homines denique corripiat. Vid. Cl. Jo. Wilh. Dimmelii diss. de morbis contagiosis. Lugd. Bat. MDCLXXXV. Cel. Geor. Wolfg. Wedelii diss. de contagio & morbis contagiosis. Jenæ MDCLXXXIX. Ill. Fr. Hoffmanni diss. de aëris potentia in epidemicorum morborum generatione. Halæ Magdeb. MDCCXXVII. Cel. Jo. Herm. Fürstenavii diss. de contagio & morbis contagiosis. Rintel. MDCCXXXXII.

§. LXXXXIV.

Lues Venerea.

Quanta damna nefanda lues, ab Hispanis circa sæculi XV. exitum ex India occidentali in Hispaniam atque regnum Neapolitanum allata, atque ex hoc a Gallis, ibi tum temporis militantibus, ulterius propagata, dederit, adeo notum est, ut, hoc fusius declarare, omnino supervacaneum sit. Tetro huic malo arctiores a Magistratu limites poni possunt, si neque lupanaria fert, neque, impura scorta publicum ex corpore quæstum facere, sinit. Monente Cel. Jo. Ern. Hebenstreit l. c. sect. I. c. II. §. XXIX. impura vagaque venere ac lupanaribus in

republica nihil potest esse indignius, nihilque pestilentius; fœdo enim cum scortis commercio infernale luis Gallicæ virus longe lateque disseminatur; nullaque libido sibi ipsi tam atrox pœna, quam lascivia est. Quin de hoc morbo jure suspecti a consortio publico segregandi, atque, etiam inviti, Medicis, curationis ergo, tradendi sunt; hoc enim modo ulterior contagiosi hujus mali propagatio omnium optime præcavetur. Modo laudatus autor l. c. sect. I. c. IV §. V. a Magistratu, inquit, sedulo curandum est, ne hac lue tacti vel cum sanis vel cum aliis ægrotis ullum commercium alant; quorum scilicet halitus, omnesque, qui de corpore illorum exeunt, succi, contagiosi quid in se habent. Vid. Cel. Jo. Henr. Bassii tr. de morbis venereis. Erfordiæ MDCCLXIII. a me editus.

§. LXXXXV.

Variolarum insitio.

Licet variolarum naturalium, non adeo malignarum, curatio Medicis prudentibus æque, quam insititiarum, procedat; id quod, præter alios Perill. de Swieten in comment. Ad Boerhavii aphorismum MCDIII. fusius docuit, ac documentis publicis probavit; attamen earum insitio apud populos Asiaticos dudum, bono cum eventu,

re-

recepta, id commodi habet, ut recta ætate, conveniente anni tempore, in subjectis ceteroquin sanis, suscipi, curandorum corpus si opus sit, præparari, &, morbo statim cognito, diæta, regimen atque pharmaca convenientissima applicari possint; dictæ insitionis administratio per artis peritos a Magistratu, in locis ubi variolæ se iam manifestant, vel grassantur, utique concedi potest. In locis vero contagio isto vacuis, ob hominum plebeorum, insitione non utentium, infectionem, illisque consuetam malam ægrotantium tractationem, ejusmodi experimenta suscipere, haud consultum videtur. Cum vero methodus hæc ex nonnullis caussis v. c. mala corporis dispositione, prava diæta, &c. fallere potest, a materia varioloſa benigna in nonnullis subjectis variolæ malignæ producantur, nec exempla desint, quod, post rectam hujus methodi applicationem, naturales variolæ, tamen quandoque eruperint; cujus rei quatuor casus mihi in praxi clinica indubii obtigerunt; neminem ad hoc remedii genus admittendum persuaderi aut cogi deberi; sed libero curandorum vel cognatorum arbitrio relinquendum esse, arbitror. Vid. Cel. J. D. Mezger in adverſ. med. Trajecti ad Mosam MDCCLXXIV. editis §. CLXV. Nisi omnia me fallunt, morbum hunc, pestis

instar,

instar, ob incautum sanorum cum aegrotis commercium, de loco in locum transferri, aliquoties me observare, mihi visum fuit, operæque pretium effet, periculum facere, an non, sublato illo commercio, ejus propagatio impediri possit; Caffaris hoc processisse, relatum est. Cum multo plures variolis naturalibus, quam artificialibus, ægrotent, vulgus in hoc morbo modo non semper regimine, diæta & pharmacis calidis adeoque nocivis, utatur, rariusque a prudente Medico, nisi sero, consilium expetat; multo plures variolis naturalibus, quam inütiis, mori, veriſſimum quidem est: At inde formata concluſio, naturales artificialibus peiores, & curatu difficiliores, esse, vitium subreptionis est. Vid. Cel. Dn. Medici Sendschreiben von der Ausrottung der Kinderblattern. Frankf. u. Leipz. 1763. & Cel. Dn. Mich. Sarcone de contagio de vajuolo, & della necessita di tentarne l'estirpatione, Neapoli MDCCLXX.

Schol. Ut variolis correptos Medicis, prudentibus statim curandos tradant, incautum vulgus adigendum est; id enim nisi fiat, ingens inter infantes strages editur, & contagii limites dilatantur.

§. XCVI.

§. XCVI.

Empirici.

Licet a vulgari cognitione scientia medica mirum quantum remota sit; nulla tamen ars est, cui plures, & fere vel pessimus vel stolidissimus quisque, illotas manus admovent. Ecclesiastarum, pharmacopœorum, chirurgorum, balneatorum atque obstetricum nequiores medicinam facere, & falcem suam, non sine maximo ægrotorum damno, messi alienæ immittere, haud dubitant Quantaque circumforaneorum, hypocritarum, ac seplasiorum turba regiones complures inundatæ sunt! Ut carnifices, muliatros, fabros ferrarios, opiliones, judæos atque anus, aliosque hujus furfuris homines, jam taceam. Cum hi ad unum omnes neque corporis humani structuram, neque utriusque valetudinis causas, notas atque effectus, neque remediorum naturam, vires & relationes inter se atque ad morbos, diversumque horum statum, variasque complicationes, intelligant; non potest non fieri, ut stolidam plebem, eique similes, multis fortunarum atque valetudinis damnis, quin vitæ periculis, afficiant, lethoque dent. Hic, ut insipientis, miseræ, semperque psychologice minorennis plebis patrocinium Magi-

stra-

ſtratus gerat, peſſimosque illos nebulones, in illicito verſantes, ab utriusque medicinæ praxi ſevere arceat, & in nequitia doloque ſuo perſeverantes pœnis coërceat. Circumforaneorum fraudes, civibus atque hoſpitibus pernitioſæ, ad nundinarum libertatem minime pertinent; niſi quis eandem ad crumeniſecarum artificia quoque extendere velit. Perill. Chriſt. de Wolf l. c. c. III. §. CCCLXXX. inquit: Man hat in dem gemeinen Weſen darauf zu ſehen, daß niemanden, Krankheiten zu curiren, zugelaſſen werde, von dem man nicht genugſam verſichert iſt, er verſtehe, was dazu erfodert wird, und ſey geſchickt, ſeine Kunſt auszuüben. Idem autor l. c C. VI §. DLXXXII. prioribus ſequentia prudenter addidit: Durch Quackſalber, Marktſchreyer und andere Landläuffer wird das Geld aus dem Lande gezogen, und die Obrigkeit ſollte nicht, wegen eines von ihnen zuerrichtenden kleinen Abtrags, verſtatten, daß ſie ihr Werk öffentlich treiben und den unvorſichtigen das Geld ablocken.

§. XCVII.

Judicum inferiorum incuria.

Ne contra civium valetudinem vitamque talia facinora patrentur, tantaque reipublicæ dedecora admittentur, imperantium legi-

gibus, omnibus sane servandis, satis quidem cautum est. Sed nescio, qui fiat, ut in malis his coërcendis nonnulli Magistratus inferiores adeo oscitanter agant, & sic, in valetudine ac vita fidei suæ creditorum custodiendis tuendisque, vel culpose vel dolose, tam incurii malique sint, & noxarum, quin homicidiorum participes se reddant. Cel Ah. Fritsch med pecc. c. I. in culpa, inquit, Magistratus sunt, qui vagam & publico pernitiosam medicandi licentiam non coërcent, & ἀπαιδεύτους ac veræ artis prorsus ignaros impostores e republica non expellunt. Huic Cl. Dn. Pattin epist. CXVIII assentitur, inquiens: prætores, illos ferentes, culpæ proximi sunt. Quo indignius autem, teste M. T. Cicerone, rem honestissimam & rectissimam stultorum & improborum audacia, summo cum reipublicæ detrimento, violat; eo studiosius & illis resistendum, & reipublicæ consulendum est.

§. XCVIII.

Aliorum auctorum testimonia.

Cel. Jo. Bohnius l. c. pr. I. c. III. §. XXXVI. infelicior, inquit, hominum conditio videri potest; quod ipsorum vitæ minus, quam aliis extrinsecis, & sæpe nullius momenti, rebus, prospectum atque cautum

tum sit. Huic calculum suum Cel. Jo. Ern. Hebenstreit l. c. sect. I. c. III. §. II. adiicit, inquiens: potestne aliquis a stupido agyrta, fumivendulo ac impostore, qui literas penitus ignorat, corporis humani tam sani quam ægroti facultates, modos convalescendi varios, & medicamentorum in corpus agendi rationem, penitus nescit, talem, qua opus est, circumspectionem, providentiam, medicamentorum prudentem inter plura optionem, & eorum ad vires hominis compositionem, sibi promittere? Quare summam laudem merentur Principes, si severis pœnis ejusmodi impostores comprimunt, illosque, tamquam diram pestem, e republica submovendos jubent; quorum delicta, utpote qui in facto illicito versantur, ad juris criminalis leges æstimanda sunt. Recte etiam de hac re Cel. Marcellus Palingenius stellatus in zodiaci vitæ L. V. sequenti modo cecinit:

O miseræ leges, quæ talia crimina fertis!
Vos, quibus imperium est, qui mundi frena tenetis,
Ne tantum tolerate nefas, hanc tollite pestem,
Consulite humano generi! quot nocte dieque
Horum carnificum culpa, mittuntur ad orcum!

Vel

Vel perfecte artem discant; aut non medeantur.
Nam si aliæ peccant artes; tolerabile certe est:
Hæc vero, nisi sit perfecta, est plena pericli,
Et sævit, tamquam occulta & domestica pestis.

Cap. VII.

De embryorum ac sobolis cura.

§. XCIX.

Conjugiorum promotio.

Cum ex civium multitudine, habilitate atque diligentia reipublicæ potentia atque felicitas æstimanda sit; illorum vero plures vel morte naturali, vel intempestiva, rapiantur, summi Magistratus cura omni tempore eo directa sit; ut connubia prolifera facilitentur, atque parentes, copiosam sciamque sobolem, in reipublicæ emolumentum, bene educantes, quovis modo juventur, variisque oneribus, quantum fieri potest, leventur. Hoc eo magis procurandum est, cum hac ratione multa damna morbique, ex venere vaga oriunda, quibus improvida juventus sese obiicere solet, evitantur.

§. C.

Gravidarum cura.

Gravidis, futuri temporis ſpem utero gerentibus, magna cura ac reverentia debetur; ne, tamquam animo imbecillæ, timore percellantur, ad iram provocentur, motibus vehementioribus, laboribusque gravioribus periculoſe obiiciantur, aut externis injuriis officiantur; quoniam ex his cauſſis abortum facile patiuntur. Cum præter ea multum interſit, ut fetus integri ac formoſi, non autem monſtroſi, naſcantur; omnia oſtenta a gravidarum oculis removenda, nec valde monſtroſis, aut morbo, aſpectum tetricum exhibente, laborantibus, ſine partis vitioſæ obvelatione, in publicum prodire, licitum ſit; hæc enim vehementem nocivamque ſenſationem, & ſubſequentem ingratam imaginationem, in gravidis & mente & corpore imbecillis, producunt; ſimilisque labes embryonibus quandoque affricatur. A gravioribus operationibus chirurgicis, ſectionibus anatomicis, lanienis, & maleficum ſuppliciis, gravidæ, in primis ſenſibiliores minusque adſuetæ, quoque arcendæ ſunt; ne graves intempeſtivæ curioſitatis pœnas pluribus modis dent Gravidas neque in carcere inſalubri detinendas, neque territioni, aut rigoroſæ quæſtioni ſub-

subiiciendas, & tanto minus afflictivis corporis pœnis ultimove supplicio afficiendas esse, in medicina forensi ulterius declarabitur.

§. CI.

Hebenstreitii Testimonium.

Cel. Jo. Ern. Hebenstreit l. c. sect. I. c. I. §. IV. e conspectu, inquit, publico mutili, distorti monstrosi &c. auferendi, nec talia naturæ lidibria spectaculis publicis sistenda sunt. Veluti enim nec humanum quidem est, ex hominum miseriis lucrum capere velle homines; ita periculum omnino subest, ne, per phantasiæ (potius sensationis) maternæ efficaciam, nascitura reipublicæ germina corrumpantur; quod superioribus annis Lipsiæ contigit, ut, a viso homine cruribus manco, quem agyrta circumducebat, miserrimmum fetum, cruribus quoque mancum, offensa mater pareret. Laudanda est illius, quod penes Athenienses, teste Plutarcho in Lycurgo, fuit instituti ratio, ne ejusmodi ostentis, in publico versari, liceret.

§. CII.

Ex illicito coeubitu gravidæ.

Suspectum utriusque sexus consortium, quantum fieri potest, præcavere, ejusque

occasiones præcidere, tutius meliusque est, quam pœnis peccantes afficere. Ad illas, quæ graviditatis ex concubitu illicito vel vago suspectæ sunt, attendendum, & impertinaciter negantibus ventris inspectio ab arte peritis suscipienda est; ne poculis abortivis aliisque scelerosis artibus, quarum male feriati homines pleni sunt, embryonem excutiant, vel partum clam editum exponant, aliave ratione negligant, aut violentas ei manus iniiciant. Recte Tullius Tiro apud Gellium in noctibus Atticis l. VII. c. III. sensit, summa, inquiens, professio stultitiæ est, sceleribus cogitatis non ire obviam; sed manere operirique, ut, cum admissa & perpetrata fuerint, tum denique, ubi, quæ facta sunt, infecta fieri non possunt, puniantur. Idem autor l. XII. c. I. quædam, ait, fraudibus nituntur, ut fetus quoque ipsi in corpore suo præcepti abortiantur. Hoc publica detestatione communique odio dignum est, in ipsis hominem primordiis, dum fingitur, dum animatur, inter ipsas artificis naturæ manus, interfectum iri.

§. CIII.

Nothorum cura.

Nec una recens natos perimendi via est; nam licet vis aperta illis quandoque non infe-

feratur; haud raro tamen, ex neceſſariæ curationis defectu, lenta morte pereunt; idque ſubinde malitici, ſæpius tamen matris, aliorumve qualemcunque curam eorum habentium, paupertati, adſcribendum eſt. Ad miſerorum illorum educationem impræg-natores non ſolum publicitus adigendi ſunt; ſed etiam, niſi illud ſufficere poſſit, vel fieri nequeat, publica eorum cura habenda eſt. Ipſæ matres graviditate, partu, lactatione, aliisque ſubeundis tenellorum curis, jam ſatis pœnarum dant; nec aliis eas afficere, plures ab rationes, conſultum, ſed, ut ad meliores mores redeant, illas adigere, ſatis eſt. Monente Cel. Jo. Ern. Hebenſtreit l. c. ſect. I. c. I. §. IX. poſtulat tutelam, eaque vehementer indiget, infelix corruptiſſimarum matrum ſoboles, cui illæ vel naſcituræ, vel naſcenti inſidias ſtruunt, mortemque intendunt. Salutaria his conſilia opponenda ſunt; ne illæ vel pharmacis fetum excutere, vel eundem, poſtquam clam pepererunt, peſſundare, exponere, manuque illata, vel, quod perinde eſt, neglectu curæ, naſcentibus natisque debitæ, internecione delere poſſint.

§. CIV.

Legitimæ ſobolis cura.

Neceſſaria quidem ac laudabilis cura eſt, quæ moribus puerorum formandis impenditur; at ſola ad propoſitum finem obtinendum haud ſufficit; ſed alia quoque infantum puerorumque tractatione quoque opus eſt, nimirum ut eorum ſanitas vitaque conſerventur; ne imbecillis, claudis, aliove modo vitiatis, civibus respublica oneretur, ſuisque idoneis ſupplementis privetur. Hac de cauſſa, matres, nutrices, aliæque tenellorum curam habentes, probe inſtruendæ ſunt, qua diæta & regimine recens nati, infantes atque pueri uti debeant, & quomodo ab illis injuriæ externæ, omniaque pericula, arceantur. Reſpectu lactationis, omnium optimum eſt, ſi mammas recens natis ipſæ matres præbent; ubi vero id, ex cauſſa morali vel morboſa, fieri nequeat; nutrices juvenculæ, bonis moribus præditæ atque ſanæ, nulloque morbo contagioſo v. c. ſcabie, lue venerea, malis ulceribus &c. infectæ, Medicis in conſilium vocatis, quærendæ ſunt. Ob ſolum fluorem nutricis malignum, abſentibus adhuc aliis luis venereæ, notis lactentes peſſima lue venerea, in tenero corpore cita incrementa capiente, correptos eſſe, a me aliquoties obſervatum, & in actis Acad. Elector. Mogunt.

gunt. Tom. II. §. CCCCLVI. indicatum est.

§. CV.

Gellii Testimonium.

A. Gellius l.c. nonne in hac quoque re' inquit, solertia naturæ evidens est, quod posteaquam sanguis ille, opifex, in penetralibus suis omne hominis corpus finxit, adventante jam partus tempore, in supernas se partes profert, & ad fovenda vitæ atque lucis rudimenta præsto est, & recens natis notum & familiarem victum offert? Quam ob rem non frustra creditum est, sicut valeat ad fingendas animi & corporis similitudines vis & natura seminis; non secus ad eandem rem lactis quoque ingenia & proprietates valere. Quæ, malum, igitur ratio est, nobilitatem istam nati modo hominis, corpusque & animum, benigne ingenitis primordiis inchoatum, insitivo degenerique alimento lactis alieni corrumpere; præsertim si ista, quam ad præbendum lac adhibetis, improba, si impudica, si temulenta est.

§. CVI.

Carcere attentarum infantes.

Rearum, vel de crimine quodam suspectarum, infantes una cum matre in carcere

insalubri, v. c. squalido, frigido, sine piaculo detineri nequeunt; sed vel una cum matribus, sufficienter pastis ac potis, in loco salubri servandi sunt. Cel. Jo. Ern. Hebenstreit l. c. sect. I. c. II. §. XXX. si mater, inquit, criminis rea ob morbum, malum victum, carcerisque squalorem, lactis defectu laborat; cum tamen, propter imbecillitatem, ablactari & jusculis forte nutriri, infans nondum possit, & si similes casus alii eveniunt; tunc eorum qui rem publicam curant, singulare aliquod erga nascentes officium est, ut, si mater soboli mammas præbere haud possit; illa nutrici tradenda sit; qua in re pios atque aequos decet esse judices; cum matris crimina insons infantulus ferre, suoque damno expiare, haud debeat.

§. CVII.

Pauperis sobolis cura.

Parentes adeo gravem pauperiem perferentes, ut soboli suo, in primis annona cara, neque necessarium victum, neque amictum, suppeditare possint, a re publica juvandi sunt; ne inevitabili miseria illa pereat, sed in reipublicæ, cui nati sunt, emolumentum conservetur. Hoc jura divina, humana atque politica ab iis, penes quos summa rerum potestas est, nec non

ab

ab iis, qui illorum vices gerunt, omnino exigunt. Optime de republica meriti sunt, qui in infantes expositos, orphanos, aliosque miseros, alendos pecuniam suam, multum ipsis olim, ex divino promisso, lucraturam, collocarunt! Quanto etiam satius est, sumptus tam pio modo impendere, quam argentum atque fortunas suas inutili, minus honesta, quin quandoque impia atque damnosa, ratione dilapidare, profundere, ac perdere.

§. CVIII.

Sectio cæsarea.

Usu quandoque evenire solet, ut gravidæ, fere vel prorsus transactis graviditatis mensibus, vel a læsione externa aut morbo confectæ, vel obstetricantium culpa, aut caussis partum prorsus impedientibus, sub partus doloribus satis cedant, & fetus sæpissime adhuc superstes in utero retineatur. Ejusmodi embryones vivos negligere, & una cum matribus mortuis sepelire, tamquam impium, legibus jam dudum prohibitum est; optandumque esset, ne unquam ejusmodi piacula admitterentur. Ex lege Regia XI digest. t. VIII. leg. II. vetitum est, mulierem, quæ prægnans sit, humari, antequam partus ei exscindatur, qui contra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse,

misse, videtur. Si igitur tristis ejusmodi casus contigit; a Magistratu semper & ubique procurandum est, ut ab arte peritis sectio cæsarea instituatur, & sic embryo, ut plura exempla docent, reipublicæ conservetur. Hanc fetum vivum ex matris mortuæ utero exscindendi methodum veteribus jam notam usitatamque fuisse, præter legem modo citatam, ex Scipionis Africani, Julii Cæsaris & Manlii exemplis discimus; utpote qui cæsonum nomen ex hac operatione traxerunt. Vid. Caii Plinii histor. natur. l. VII. c. IX. Christ. Vateri diss. de hominis partu post matris mortem Wittenb. MDCCXIV. Polyc. Gottl. Schacher progr. de sectione cæsarea in matre sub partu mortua adhuc instituenda, Lipsi. MDCCXXXI. Quin & in partu per se, ob pelvis vitium &c. impossibili, in vivis sectione cæsarea quandoque opus est. Vid. Cl. Franc. Rosseti tr. de exsectione fetus vivi ex matre viva sine alterutrius vitæ periculo &c. A Casp. Bauhino ex idiomate Gallico in Germanicum translatus & historiis auctus. Francofurthi MDCCI. Conallus ô Connel de operationis cæsareæ necessitate ac possibilitate in partu desperato, Lugd. Bat. MDCCLI.

Cap.

Cap. VIII.

De mortuorum curâ.

§. CIX.

Sepultura honesta.

Mortuis exequias honestas tempestivasque facere, justum quidem bonumque est; sed cavendum, ne ridiculo modo & cum heredum detrimento nimis fastuosæ sint. Inutiles ejusmodi impensas circumcidere, easque, si res sinit, in alias pias causas collocare, multo melius atque prudentius est. In vita bene acta, bonaque fama post obitum relicta, non autem in ejusmodi caeremoniis ac næniis, laus vera atque perdurans posita est. Sed hujus rei, ad politiam communem pertinentis, non nisi connexionis ergo, brevissimam mentionem facere, libuit. De locis sepulturæ accommodatis, ne hæc viventium valetudini secundæ obsit, supra dictum est.

§. CX.

Mortuorum ostentatio.

Publica mortuorum ostentatio ideo forte olim in consuetudinem deducta fuit, ut, illos, non violenta, sed naturali, morte extinctos esse, inter omnes constaret. Sed cum nostris temporibus hoc ex aliis rationibus

bus modo non semper sciri possit, & si forte in mortibus subitaneis violentiæ suspicio inciderit; in ejusmodi suspectas mortes inquirere, Magistratus sit Illa vero, quæ apud plebeios homines, fastus causa, fit, omnino ridicula, quin aliquando admodum pernitiosa est; sæpius enim accidit, ut morbis malignis contagiosisque defunctorum corpora aërem vicinum particulis acribus putridisque repleant, stolidæque plebi, acervatim accurrenti, diutiusque ibi commoranti, similem labem affricent. Plures ineptam hanc curiositatem simili morbo petechiali morteque luere, memini. Corporum morbis malignis contagiosisque mortuorum exhalationes atque attactum non contagiosa esse, ut nonnulli perhibuerunt, prorsus falsum est; cujus rei in sectione anatomica quadam cum vitæ periculo, certior factus sum, nullum mihi de ea dubium, sed signum, relictum est.

§. CXI.

Cadaverum incisio.

Morbis haud contagiosis extinctorum corpora incidere, atque in mortis causas accuratius inquirere, ex his morbi causas emere, & cum morborum historia conferre, in magnum scientiæ medicæ incrementum atque reipublicæ emolumentum, cedit.

dit. Ejusmodi ergo corporum mortuorum incisiones a Magistratu quavis ratione juvandæ sunt; id quod in nosocomiis publicis commodissime, &, consuetudine sensim introducta, etiam apud privatas fieri potest, oportet autem, ut Medici atque Chirurgi, artis subtilius excolendæ, non lucri caussa, ejusmodi sectiones sponte suscipiant. Perutiles ejusmodi labores viri nonnulli de re anatomica ac medica optime meriti, non sine maxima laude, præstiterunt. Vid. Cel. Theophil. Bonetus in sepulcreto anatomico Genev. MDCLXXIX. & a J. J. Mangeto ib. MDCC. edita, & Ill. Jo. Bapt. Morgagnus in V libris de sedibus & causssis morborum per anatomen indagatis. Lugd. Bat. MDCCLXVII.

§. CXII.

Sepulturæ tempus.

Cum non desint morbi mortis speciem præ se ferentes v. c. recens natorum anæstesia, syncope, olighæmia, post enormem sanguinis profusionem, affectus catalephici, apoplectici, carus, rigores universales, congelationes, suffocationes in aqua, a prunarum vaporibus, exhalationibus sulphureis, vel laqueo, &c. nec vivorum sub ejusmodi accidentibus sepultorum exempla desint; quale in puerpera tertio die, cum exequiæ

ipsi

ipsi parabantur, reviviscente mihi innotuit; subitanea in primis morte defunctorum sepulturæ, ut perversus nonnullorum mos est, minime festinandæ sunt. Incipiens corporis putredo, indeque pendens odor cadaverosus, sola certissima mortis indicia sunt. De illis, qui elati revixerint, Cai. Plinius in historia naturali l. XVII. c. LII. plura exempla retulit, femineumque sexum huic malo inprimis opportunum esse, asseruit, feminæque exemplum proposuit, quæ exanimis visa, post VII. dies in vitam revocata sit. Similes historiæ a Fortunato Fideli relat. med. l. IV. c. V. & Ambr. Pareo l. XXIV. c. XXVI. Paris. MDLXXXII. editis enarrata sunt Vid. Jo. Mar. Lancisii l. II. de subitaneis mortibus. Romæ MDCCIX. Cel. Jo. Christoph. Dethardingii diss. de morte. Rostoch. MDCCXXIII. Cel. Mich. Alberti diss. de resuscitatione semimortuorum medica. Halæ Magd. MDCCXXVII. Cl. Jac. Jean Bruhierdiss. sur l'incertitude des signes de la mort, & l'abus des enterremens, à Paris MDCCXXXXII. a Cl. Dn. Jo. Gottfr. Jancke idiomate Germanico donata. Lipsi. MDCCLII.

§. CXIII.

In aqua suffocati.

Plura in aqua suffocatorum exempla adsunt, qui, post nonnullas etiam horas, arte ad-

adhibita in vitam iterum revocati sunt; id quod maxime in illis, quorum foramen ovale, non prorsus clausum, aliquali sanguinis circulo occasionem dat, locum habet. Foramen hoc etiam in adultis non semper occlusum esse, ex aliquot adultorum exemplis, in sectionibus anatomicis, mihi observare licuit. Prudenter ac pie igitur a Magistratu omnes, posito etiam præmio, ut ex aqua submersos extraherent, atque resuscitationis tentamina facerent, invitati sunt. Tempestivæ sanguinis missiones, aëris in pulmones, protracta prius, lingua, pro epiglottidis allevatione, sæpius repetitæ inflationes, alvi clysteribus acribus sublotiones, valentiores diuturnioresque corporis agitationes atque extremitatum fricationes, aliaque nota adminicula, huc pertinent. Vid. Cl. Dn. Rud. Aug. Behrens Kunst ertrunkene Menschen wieder zu erwecken. Braunschweig 1742. Cel. Geor. Aug. Langguth diss. de reddenda recens suffocatis anima. Wittenb. MDCCXXXXVIII. Ejusd. progr. de curatione recens præfocatorum magis imperanda, quam impedianda, ib. Cl. Jo. Christ. Redlich diss. de submersorum resuscitatione. Lipsi. MDCCLXXIV.

Obs.

Obſ. Infantes ac pueros aqua ſuffocatos, ob dictam rationem, adultis facilius in vitam revocari poſſe, ratio, docet, atque nonnullis exemplis didici.

§. CXIV.

Alio modo ſuffocati.

Laqueo ſuſpenſos, fulmine tactos, carbonum, muſti fermentantis vel ſulphuris vaporibus prævocatos conſimili fere ratione, citaque in aërem liberum protractione, quandoque excitari poſſe, experientia docuit. Melancholicam, quæ ſibi ipſi laqueo gulam fregerat, larga ſanguinis miſſione, frictionibus, inprimis circa collum, aërisque in pulmones inflatione, a me exſuſcitatam eſſe, memini. Puerulum VI. circiter annorum in clibano, poſt panem coctum extractum, adhuc uſto calidiore, & ad pauca minuta improvide obturato, ſuffocatum cita in aërem liberum protractione, larga frigidæ affuſione, vehementioribusque agitationibus in vitam revocatum, &, ſubſequente febre, iterum ſanatum eſſe, recordor. Vid. Cl. Rud. Wilh. Crauſe diſſ. de fulmine tactis Jenæ MDCLXXXXIV. ejusd: diſſ. de laqueo vel aqua ſuffocatorum in vitam reſtitutione, ib. MDCCV. Cel. Jo. Andr. Münchii relatio phyſico medica de duabus perſonis fulmine tactis, quarum una in vitam revocata eſt. Halberſtadii MDCCXXXXII.

§. CXV.

§. CXV.

Frigore extincti.

In illis etiam, qui frigore perierunt, resuscitationis pericula in tempore facienda sunt. Cum autem ab uno extremo ad alterum actutum procedere, naturæ minime amicum sit; frigore peremptos in calida tepidaria inferre, haud consultum est; sed successive refocillandi sunt. Nive illos operire, vel balneo frigido immittere, dein frictionibus pertractare, atque in lectum reponere, & per gradus calorem ac vitam in illis excitare, multo consultius est. Tres personas, quæ sub coelo frigido multum algerant, & tepidarium valde calidum intraverant, apoplexia subito extinctos esse, memini; humores enim a nimio calore expandi, antequam partes solidæ rigentes cedere possint, sanitati vitæque pestiferum est.

§. CXVI.

Autochirorum sepultura.

Autochiros, salvo rationis usu, mortem oppetentes v. c. maleficos majus supplicium hoc modo effugientes, aliorum deterrendorum caussa, inhonesto loco modoque merito sepeliuntur; id quod etiam in homines perditissimis moribus diu præditos, vitæ usum susque deque habentes, & se ipsos,

furiis quasi acti, necantes, cadit. Sed ne innocentibus sepultura inhonesta infamiæ nota invratur, atque in eorum cognatos simul peccetur, probe cavendum est; non enim a sceleroſis clanculum enecatorum, & in autochirorum speciem positorum, exempla desunt. Melancholicos, maniacos, quin & delirio dissimulato laborantes, violentas sibi ipsis manus inferre, tristis experientia sæpius evicit, atque ex horum morborum indole clarum est. Ubi igitur quædam dubiæ mentis suspicio adest; corporis mortui sectione, aliorumque connexorum ponderatione, casus dati conditio ab arte peritis eruenda, & tunc demum de sepultura justi aliquid statuendum est.

Cap. IX.

De brutorum morbis dijudicandis curandisque.

§. CXVII.

Pecuariæ utilitas.

Quantam reipublicæ utilitatem pecuaria præstet, altius deducere, prorsus supervacaneum est; cum pecorum multitudine ad vescendum, ad agrorum cultus, ad vehendum atque ad corpora vestienda, nobis opus esse, inter omnes constat: illam igitur, quantam quælibet regio ferre potest, al-

altius promovendam, atque conservandam esse, nulli dubio subiacet.

§. CXVIII.

Brutorum morbi.

Hominum atque brutorum morbis, tam acutis, quam chronicis, ut & sporaticis atque communibus, magna similitudo, cæteris paribus, intercedit. Quemadmodum enim inter homines morbi epidemici benigni vel maligni quandoque longe lateque grassantur; ita inter bruta morbi communes, haud raro maligni atque contagiosi, strages suas, non sine magno reipublicæ detrimento, brevius vel longius exercent. Morbos eorum sporaticos atque longos, etiam damnosos, haud raro accidere, tam notum, quam quod notissimum est. Vid. Cl. Jac. Ambros. Langii diss. de differentia inter hominum morbos cum brutis communes & proprios. Altorf. MDCLXXXIX. Cel. Bernh. Ramazzini diss. de contagioso morbo, qui in Patavino agro & tota fere ditione Veneta in boves irrepsit. Patavii MDCCXII. Jos. Kanolds historische Relation von der Pest des Hornviehs. Breßlau 1713. Ill. Fridr. Hoffmanni heilsame Vorschläge wider die graßirende Hornvieh-Seuche. Halle 1716. Ill. Jo. Mar. Lancisii tr. de peste bovilla anni MDCCXI. Romæ MDCCXV.

& in ejus operibus Genevæ MDCCXVIII. junctim editis. Cel. Jo. Andr. Fischer progr. de contagio pecudis bubulæ, quod Thuringiam affligit. Erford MDCCXXIV. Der halberstädtischen Physicorum Untersuchung der 1723. graßirenden Hornvieh-Seuche, in constit. March. tom. V. sect. IV. c. III. Cl. Rud. Aug. Behrens Vorschläge von einigen guten Hülfsmitteln gegen die Hornvieh-Seuche. Braunschweig 1745. Cl. Joh. Gerh. Wagners Nachricht von der graßirenden pestilentialischen Hornvieh-Seuche. Lübeck 1745. Cel. Burch. Dav. Mauchard duæ diss. de lue vaccarum. Tubingæ MDCCXXXXV. Perill. Lud. de Hollberg Bedenken über die jetziger Zeit regierende Viehseuche, Wißmar 1746. Cel. Jo. Christoph Ridelii, Collegæ mei quondam conjunctissimi, Untersuchung der graßirenden Hornviehseuche. Erfurt 1749. Cel. Dan. Gottfr. Schrebers Sammlung der in der Königl. Preußischen Landen ergangene Verordnungen und medicinisch. Gutachten die Rindvieh-Seuche betreffend Halle 1745.

§. CXIX.

Muliatrorum insciti.

Fabri ferrarii, equisones, bubulci, opiliones, suarii, carnifices &c. homines ana-

to-

tomiæ comparativæ, Physiologiæ, Pathologiæ, Diætetices, materiæ medicæ, pharmaciæ, therapiæ atque chirurgiæ, in quantum scilicet artem veterinariam disciplinæ hae respiciunt, ut plurimum quam maxime rudes, veterinariam hactenus fecerunt, & cum methodum medendi neutiquam morbis adæquatam, sed illo peiorem, sæpius ingrediantur; mirum non est, illorum conamina, maxime in morbis late grassantibus, non ex sententia sed male, modo non semper cessisse. Dum etiam brutorum morbo extinctorum dissectionibus interesse, famæ noxium esse, credant; in anatomia comparativa & indagandis morborum sedibus & caussis, requisitos profectus non facient.

§. CXX.

Remedia insufficientia.

Pharmaca illa, quibus, tamquam panaceis, ut plurimum indocti veterinarii uti solent, formulis olim ex inepta ingredientium farragine concinnatis, medicinam vulgarem atque adhuc rudem sapientibus, antilimicis, continentur. Hæc decantata illa remedia esse solent, quæ ejusmodi calamitatibus publicis, indole earum minime investigata, tam confidenter, quam temere, opponi solent, & ne stultitiæ quid desit, in ephemeridibus publicis modo hæc, modo

illa formula ebuccinatur, aliis præfertur, magnisque laudibus extollitur; quasi vero in tanta morborum diversitate remedia universalia existerent.

§. CXXI.

Aetiologiæ ratio habenda.

Si verum est, neminem morbos curandi methodum scire, qui, unde hi ortum sumant, ignoret, morbosque curare, teste Hippocrate, nihil aliud esse, quam causas eorum tollere; in brutorum vitiis atque morbis auferendis, ante omnia ab arte peritis ex causarum antecedentium, ac symptomatum præsentium, juvantium ac nocentium, investigatione, ponderatione ac collatione inter se, & sectione anatomica, causam proximam morbi eruendam, veramque morbi historiam formandam; & tunc demum rationalem medendi methodum stabiliendam præcipiendamque esse. Quis enim non videt, nisi tribus Anticyris insanabile caput sit; sic morbos melius profligari posse, quam si formulæ futiles, morbo minime accommodatæ, anxie conquiruntur. Neque brutorum morbi sporatici neque communes unius ejusdemque, sed diversissimæ, indolis sunt, & sibi aliisque persuadere, morbum ignotum remediis incertis & quando-

doque æque ignotis, ſuperatum iri, abſonum atque a fine propoſito alieniſſimum eſt.

Scholion. Ut brutorum morbos admodum diverſos eſſe, exemplo declarem, varios boum morbos in Wetteravia Darmſtadina MDCCLXXVI. hinc inde graſſatos eſſe, breviter enarraturus ſum. In locis depreſſioribus humidioribusque tempore aeſtivo, febres putridæ, in aliis cholera ſicca & humida, & in locis ſiccioribus febres inflammatoriæ haud malignæ obſervatæ, Magiſtratus juſſu a Phyſicis inveſtigatæ, rectaque medendi methodo in tempore profligatæ ſunt. Obſervationes in utraque boum cholera, tam in illius tractatione, quam cadaverum ſectionibus, habitas loco convenientiore proponam. Ante triennium in planitie ejusdem regionis arenoſa, tempeſtate calidiſſima, plures vaccae apoplexia (von dem ſchieſſenden Blut) extinctæ fuerunt. Quis quæſo, dictos morbos ad unum genus pertinere, & una eademque medendi methodo tractandos eſſe, experientia ac ratione contradicentibus, autumabit.

§. CXXII.

Generalis medendi methodus.

Cum ſimilibus vitiis ac morbis bruta, quam homines, laborent, illique fere non-

nisi denominationibus inter se differant; post accuratam causarum cognitionem, iisdem remediis ex medicina, quæ victu, pharmacis & manu medetur, petitis curandi sunt; nisi quod diversa animalium brutorum genera, atque ætates, aliquod, respectu qualitatis, & insigne respectu quantitatis, auxiliorum discrimen ponat.

§. CXXIII.

Medicorum officium.

Ex his clarum est, brutorum morbis tam dijudicandis, quam curandis, neminem prudente atque in arte sua bene exercitato Medico, aptiorem esse; modo in anatomia comparativa rite exercitatus, & terminis veterinariorum technicis, in quavis fere provincia quodamodo variantibus, rite imbutus sit, & veram ingredientium morborum indolem ex morbi historia, cadaverum sectione, & juvantium nocentiumque ponderatione, probe eruat. Hæc Medico dedecori esse, nemo prudens arbitrabitur; sic enim reipublicæ inserviunt, atque ex brutorum sectione vel curatione illorum nemo infamiæ notam incurret; utpote quæ nonnisi scelera committentibus juste inuritur. Judicante Cel. Jo. Ern. Hebenstreit l. c. sect. I. c. IV. §. X. morbos brutorum, partem bonorum constituentium, con-

contagiosos & late grassantes, quorum progressus hominibus noxius fieri potest, sistere, Medicis neutiquam inhonestum; sed maxime laudabile, ac societati humanæ maxime proficuum ac salutare, est.

§. CXXIV.

Inprimis Physicorum.

Poliatrorum atque Medicorum provincialium, publice constitutorum, officium omnino requirit, ut Magistratui, de brutorum morbis grassantibus interroganti, scite respondeant, cadaverum accuratis sectionibus intersint, eas dirigant, morbi symptomata in brutis ægrotantibus investigent, causas prægressas ponderent, veram morbi indolem definiant, atque rationalem medendi methodum præcipiant; ut cives suos Magistratus edocere possit, quo modo malis atque damnis his omnibus optime occurri possit. Imo & patribus familias atque veterinariis, se de brutorum morbis eorumque curatione consulentibus, Medici libenter a consiliis sint. Cum vero a muliatrorum atque empiricorum consiliis, tam in suis, quam pecorum suorum, morbis multo libentius, quam a prudentum medicorum, imprudens vulgus stet; tam illorum conamina, præsertim in calamitatibus publicis, retundenda sunt, & hoc, ad saniora

utilioraque consilia sequenda, imperio adigendum est; cum in ejusmodi casibus non de re privata, sed publica, agatur.

§. CXXV.

Contagii averruncatio.

Morbo brutorum contagioso in provinciis vicinis grassante, fines, ne pecora infecta traducantur, sollicite custodiendi, omneque boum pecudumve commercium cum illis interdicendum est; unius enim vitiosi traductione integras provincias contagio correptas esse, tristi experientia satis constitit. In locis ubi malum jam grassatur, ab ægrotare incipientibus integri actutum removendi, nec homines ægrotorum curam habentes in sanorum stabula admittenda sunt. Columella de re rustica l. VI. c. V. confestim, inquit, ita a sanis morbidi segregandi sunt; ne quis interveniat, qui cæteros contagione labefaciat. Morbosos statim trucidandi, & una cum pelle in terram altius defodiendi Bernensibus mos est. Vid. Perill. de Haller commentatio de lue bovilla agri Bernensis. Gœttingæ MDCCLXXIV.

§. CXXVI.

Cadaverum sepultura.

Non omnes morbos alicubi grassantes malignos atque contagiosos esse, supra jam dictum

dictum est. Ubi igitur ex communi causſa non contagiosa plura jumenta moriuntur; eorum pelles sine periculo detrahi, atque in coriariorum usus venire possunt: at nihil hic generatim definire licet; sed morbus alicubi grassans ab arte peritis semper & ubique accurate investigandus atque determinandus est. At in morbis vere contagiosis vel bruta extincta una cum pelle in terram altius sine mora defodienda, vel eorum pelles in loco ab hominum brutorumque animalium accessu remoto deglubendæ, ibique in cupis capacioribus, in terra defossis, calce viva prope condienda atque in aqua calcis, cerdonum more, tam diu macerandæ sunt, usque dum sal volatilis causticus, cui noxa debetur, correctus sit. Duratio hujus temporis, pro calidioro frigidioreve cœli temperie, menstruo, bimestri, trimestri, quin longiore spatio absolvitur. Ji vero, qui brutis mortuis eorumque detractis pellibus contagium haud inesse, contendunt, minime audiendi sunt. Ab ejusmodi pellibus sub tectis exsiccationi expositis in pago vicino intolerabilem fœtorem ortum, & luem bovillam insigniter auctam, esse, probe memini. Jis vero prudente Magistratus jussu in terram defossis, morbi impetus iterum deferbuit.

§. CXXVII.

§. CXXVII.

Hebenstreitii testimonium.

Cel. Jo. Ern. Hebenstreit l. c. sect. I. c. IV. §. XVIII. sequentia de hac re proposuit: pelles seorsim defossæ sunt; cum Lipsiæ essent ex coriariis, qui, cum animalis peste extincti cutim tractarent, morbis malignis infecti sunt, quibusdam subitanea morte, post nova, qualia in peste esse solent, symptomata, abreptis.

§. CXXVIII.

Scholæ veterinariæ.

Quod in nonnullis provinciis Magistratus vel officio suo pie fungentes, vel damnis propriis alienisve cautiores facti, scholas veterinarias publico sumptu instituerint, illis magnæ laudi merito ducitur. Nec Medicis laudabilibus ejusmodi institutis strenuam operam navantibus hoc dedecori; sed potius indubium prudentiæ eorum, optimarumque partium in rempublicam susceptarum, documentum, aliisque viris cordatioribus incitamentum est, ut de republica simili modo bene merendi occasiones arripiant. In utilissimis ejusmodi scholis artem veterinariam medicinæ atque chirurgiæ studiosi discere, & reipublicæ in posterum, in gravibus ejusmodi casibus, prodesse possunt,

sunt. Ab ejusmodi doctoribus illi, qui armentorum pecorumque ægrotorum curam habent, ut salutaria consilia, atque auxilia petant, adigendi sunt. Vid. Cel. Jo. Christ. Polyc. Erxleben Einleitung in die Viehartzneykunst. Göttingen 1769. practischer Unterricht in der Viehartzneykunst. ibidem 1771. Hrn.. Franz Jos. L. B. von Tam bewährte Horrn Schaf- Pferd- und Federviehs Arzneykunst. Wien 1765. Hrn. von Sind vollständiger Unterricht in den Wissenschaften eines Stallmeisters. Frankf. u. Leipz. 1769 Ejusd. Abhandlung von der Rähkrankheit der Pferde. ib. 1768.

Cap. X.

De pharmacis, quæ in pharmacopolis publicis prostare debent.

§. CXXIX.

Pharmacorum Schema.

Licet inutili remediorum copia officinæ publicæ haud gravandæ sint; necessarius tamen eorum numerus rectaque qualitas, requiritur. Aliquam de illis normam daturus, schema aliquod, a viris nonnullis in medicina ac pharmacia eruditissimis datum a summo Magistratu comprobatum, & a me notulis auctum, hic subiiciam; quod pharmacopoliis apta ratione visitandis inservire po-

poterit. Cum autem in urbium minorum officinis pharmacevticis remedia ſimplicia bonæ notæ, & ex compoſitis non niſi uſitatiſſima, aſſervare, ſatis ſit; aſteriſmo notatorum coëmptio & præparatio ejusmodi pharmacopœis præcipienda non eſt; cum plerumque ad Medici atque Chirurgi, ibi, vel in vicinia, habitantium, præſcripta pharmacorum, maxime compoſitorum, apparatum accommodent.

Schol. Primo corpus pharmacevticum ſecundum tria naturæ regna, & dein chymicum pertractantur. Interdum tamen, propter materiarum ſimilitudinem, ab hoc ordine receſſum eſt.

§. CXXX.

Naphtha terrae ejusque producta.

Naptha terrae, vel petroleum album.

Ambra griſea, levis, ſtriata, maculoſa ſit, rubrum vilius eſt. Acui candenti non adhaereat, accenſa flammam concipiat, gratumque odorem ſpargat, & nihil vel parum relinquat.

Aſphaltum, bitumen Judaicum, eſt bitumen minerale, induratum, fragile, ſplendens, nigrum, tritum fuſcum, accenſi odor gravis.

Suc-

Succinum in fragmentis.
Praeparatum.

§. CXXXI.

Sales ſtyptici eorumque praeparata.

Alumen crudum.
Uſtum.
Vitriolum album.
Cyprinum.
Martis, purum non natura, ſed arte producitur.
Colcothar, ſeu caput mortuum vitrioli.
Naphtha.
Oleum vel acidum concentractum.
Phlegma, vel ros.
Spiritus.
dulcis hic naphtha vitrioli nobilitatus liquorem mineralem anodynum Hoffmanni conſtituit.

§. CXXXII.

Arſenicum & auri pigmentum.

Arſenicum, ſal ſemimetallicus eſt.
Pulverulentum, album.
Cryſtallinum, naturale.
Artificiale, cum ſale alcalino ſublimando factum.
* Flavum ex IX. arſenici partibus & ſulphuris una ſublimando factum.

* Ru-

* Rubrum ex X. arſenici & ſulphuris duabus partibus eod. modo fit. Flavum & rubrum natura productum rarius occurrit.

Auripigmentum, ſandaracha Graecorum eſt minerale ex arſenico & ſulphure conſtrans, flavum, & micis quaſi aureis ſplendens. Ex hoc & aqua calcis vivae liquor docimaſticus vinorum lithargyrio infectorum, hepar ſulphuris arſenicale, paratur, & recens ad hunc uſum optimus eſt.

§. CXXXIII.

Sulphur.

Sulphur citrinum, particulis terreis non inquinatum ſit.

Flores ſulphuris, eſt ſulphur ſublimando depuratum.

Lac ſulphuris.

§. CXXXIV.

Sales eſſentiales.

Ad ſales acidos eſſentiales, in officinis ſevandos hi referuntur:

Sal aceto ſellae.

Suicini volatilis, ſunt cryſtalli ſquamoſae, oleo ſo-acidae. Succino pulverato, cremore tartari, ſaccharo Thomae, ſale ammonico vel communi adulterari ſolent.

Tar-

Tartarus crudus.
Cremor tartari, terra alba non adulteratus sit.
Crystalli tartari.

§. CXXXV.

Sales alcalici, volatiles et fixi.

Salium alcalinorum volatilium atque fixorum sequentes, puri, in officinis prostare debent:
Sal cornu cervi volatilis.
Volatilis Anglicanus siccus, a cathartico Anglicano differt.
Oleosus sylvii.
Viperarum.
Cineres clavellati, albi sint.
Sal absintii.
Cardui benedicti.
Centaurei minoris.
Genistæ.
Plantarum, vel herbarum universalis.
Sales plantarum suphuris acido non imbuti, multo minus saturati, sint.
Sodæ, vel soda Hispanica depurata.

§. CXXXVI.

Sales medii.

Sales medii accurate saturati, nec particulis terreis, vel metallicis, inquinati sint.

Sal acidularum catharticus. v. c. Ebshamiensis, Egranus, Sedlizensis, Seidschutzensis &c. vel artificialis ad horum naturam præparatus.

Ammoniacus.

Flores martiales, aroph. Paracelsi.

Simplices.

§. CXXXVII.

Sacchara.

Ex sacchari speciebus sequentes in officinis servantur:

Saccharum album, durum, albissimum sit. A veterum saccharo naturali, seu succo arundinis sacchariferæ, solis calore in spissato, ut artificiale, differt.

Lactis.

Penidium.

Perlatum.

Manna est succus dulcis, natura concretus, cum saccharo naturali similitudinem habens. Calabrina duriuscula & quodammodo translucens est.

§. CXXXVIII.

Terræ.

Terræ officinales genuinæ & puræ sint, ceteroquin perinde est, ex quanam regione desumptæ sint.

Bo-

Bolus alba, linguæ prompte adhæret, at que ex albo rubescens est.

Rubra.

Calx viva, recens & bene asservata sit.

Magnesia nitri est terra alcalina, evaporatione, & calcinatione, non autem præcipitatione cum acido vitrioli, præparanda. Levissima atque albissima sit.

Terra sigillata alba.

Rubra. A bolis non, nisi forma, differunt.

§. CXXXIX.

Lapides.

Pluribus lapidibus usu medico destitutis officinæ gravatæ sunt; ex illis hi usitatiores sunt.

Corallia alba.

Rubra.

* Crystallus montana præparata; qua tamen, tanquam humoribus nostris in solubili carere possumus.

Lapis hæmatitæ.

Spongiarum.

§. CXL.

Metallica & semimetallica.

Cerussa alba, pura & ponderosa sit.

Chalybis vel Martis limatura, pura, nec

particulis aeneis aut auricalceis qualis clauſtrarorum eſt, inquinata, nec ferrugine exeſa ſit.

Crocus Martis adſtringens, rubeus eſt.

Aperitivus antimoniatus Stahlii dilâte rubet, atque antimonio diaphoretico martiali quodammodo ſimilis eſt.

Lapis infernalis, lunaris, niger & compactus ſit.

Litthargyrium; quod pro calcinationis gradu & colore flavo vel albo, in aureum atque argenteum vulgo dividunt.

Minium.

Plumbum uſtum.

Saccharum ſaturni cryſtallinum.

Viride aeris, vel ærugo aeris.

Cadmia fornacum (Ofenbruch) vel nihil { album, pompholyx, flores Zinci albi, acrimoniæ expartes ſint. / Griſeum, tutia præparata, modice gravis.

Foſſilis, lapis calaminaris, minera Zinci cinerea vel rubeſcens eſt.

§. CXLI.

Antimonium ejusque præparata.

Antimonium crudum, purum atque ſtriatum ſit.

dia-

diaphoreticum edulcatum, album, insipidum, non emeticum sit.
non edulcatum.
Martiale, vel cachecticum martiale.
Antimonii butyrum, liquor crassus, regulino acidus & corrosivus est.
Clysus.
hepar, vel crocus metallorum, calx antimonii partibus regulinis inquinata, emetica, atque fusca est; ad tartari emet. præparationem adhibetur.
Regulus martialis.
medicinalis, seu febri fugum cranii, sine sale communi parandus, a scoriis rite separatus subtilissime pulveratus, insipidus & coloris punicei sit.
Sulphur auratum ultimæ præcipitationis.
rubrum, vel Kermes minerale, multo cariore, quam præcedens, pretio constat.
Vitrum rite fusum, & coloris hyacinthini, sit. Ex hoc tartarus emeticus præparatur, & respectu doseos, ancum duplici vel simplici crystallorum tartari portione factus sit, sciendum est.

§. CXLII.

Mercurius ejusque præparata.

Mercurius currens, seu vivus, purus sit.

dulcis, densus atque insipidus sit, cum aqua calcis vivæ colorem nigrescentem, sed cum solutione alcalina non aurantium, induat Rarus & acris nocet.

Præcipitatus albus, probe edulcatus sit.

sublimatus, vel corrosivus, acerrimum venenum est. Turpethum minerale, citrini coloris, probe edulcatum sit.

Aethyops mineralis.

Antimoniatus.

Cinnabaris factitia.

nativa, pura particulis lapideis non inquinata sit; factitiæ puræ non est præstantior præparata; usibus internis destinata minio non adulterata sit.

§. CXLIII.

Fungi.

Ad fungos officinales sequentes pertinent:

Agaricus, albissimus, levis & tragilius sit.

trochiscatus, recens, nec viribus defectus sit.

quer-

quercus pedis equini facie, præ paratus, hæmotasticus.

Fungus chirurgorum, lycoperdon. Sambuci.

§. CXLIV.

Radices officinales.

Radices justo tempore effossæ, rite depuratæ, siccatæ atque asservatæ, non corruptæ, carioſæ, atque inertes sint.

Radix althææ.

Alkannæ rubræ, sapor ex subacri subdulcis.

Angelica, fibrosa, ex subacri amarescens apii.

Ari, aronjs, serpentariæ majoris. Sapor non nimis vellutæ acris.

Aristolachiæ cavæ, globosa, intus cava, fusca, peramara.

Radix aristolachiæ veræ
- longæ, crassa, extus rusca, intus alba, amarescens.
- Rotundæ, crassa, aliquatenus globosa, extus fusca, intus subflava, amara.

Asari, tenera, fibrosa, extus fusca, intus subflava, acerrima.

Asparagi sativi.

Bardanæ.

Bistortæ, vel serpentariæ vulgaris rubræ, acerba; extus subnigra, intus rubea.

Bruſci vel ruſci, myrti folii, aculeati, albida, ex ſubdulciamara

Bryoniæ, vitis albæ, prægrandis, alba, ex acri amara.

Calami aromatici acori veri, excorticata alba, ex acri amara.

Capparum, ſubflava, ſubdulcis.

Carlinæ, cardopatii, ſubflava ex acri ſubdulcis.

Caryophyllatæ, fibroſa, fuſca, ſapor & odor aromaticus.

Chinæ, craſſa, ponderoſa, farinoſa, fere in ſipida, extus fuſca, intus ex pallido rubea. Non ſit carioſa.

Cichorei ſylveſtris, extus fuſca, intus ſubflava, amareſcens.

Corſolidæ majoris, ſymphyti, extus nigra, intus fuſca, mucilaginoſa, inſipida.

Contrayervæ Peruvianæ, fibroſa, extus fuſca, intus ſubflava, ſubacris.

Coſti amari, craſſa, interdum permedium diſſecta, extus fuſca, intus ſubflava, ex ſubacri amareſcens.

Curcumæ, ponderoſa, ſaturate flava, aromatica, non carioſa, ſit.

Cyperi rotundi, parva, coniformis, extus fuſca, intus ſubflava, ex acri aromatica.

Dyctamni albi, hujus radicis cortex al-

albus in officinis ſervatur, odor aromaticus, ſapor ex ſubacri amarus.
Enulæ, helenii, fuſca, ſapor ex acri amarus, odor aromaticus.
Galangæ minoris, tuberoſa, ponderoſa, extus fuſca, intus rubea, acris, aromatica, non carioſa ſit.
Glycyrrhizæ, lequiritiæ.

Ejus baculi.

Graminis.
Hellebori albi, extus ſubnigra, intus alba, ſapor ex amareſcente peracris.
nigri, nodoſo-fibroſa, ſapor ex amaro acris.
Hermodactylorum, cordiformis, in uno latere ſulcata, extus ſubflava, intus alba, farinoſa, ſubacris.
Jalappæ, mechoacannæ nigræ, fuſca ponderoſa, ex acri dulcis.
Imperatoriæ majoris, oſtrutii, extus fuſca, intus ſubflava, ex amaro acris, fragrans.
Ipecacuannæ, tenuis, nodoſa, extus griſea, intus ſubflava, ex acri ſubamara.
Ireos Florentinæ, alba, farinoſa, ex dulci acris, odor violaceus.
Leviſtici, extus fuſca, intus ſubflava, ex ſubdulci ſubacris aromatica.
Liliorum alborum, alba, mucilaginoſa, ex amaro ſubdulcis.

* Malvæ vulgaris.

* Mechoacannæ albæ, craſſa, extus fuſca, intus griſea, farinoſa, ex ſubdulci peracris.

* Pareiræ bravæ, craſſa, lignoſa, extus nigra, intus griſea, ex amaro acris.

* Petaſitidis majoris.

Petroſelini vulgaris.

Pimpinellæ albæ, extus ex fuſco flava, intus alba peracris.

* Plantaginis aquaticæ.

Pœoniæ, intus alba farinoſa ſubdulcis.

Polypodii vulgaris, extus ex fuſco nigreſcens, intus fuſca, dulcis non lignoſa.

Pyrethri officinalis, extus obſcure, intus dilute, fuſca, peracris.

Rhabarbari orientalis ponderoſa, ſaturate flava, ſtriis rubeis diſtincta, non carioſa, vel ſitu, corrupta, ſit.

Rubiæ tinctorum, extus pallide, intus ſaturate, rubra, ſubarama.

Saponariæ majoris, lævis, extus fuſca, intus ſubflava, ſubdulcis.

Sarſaparillæ, tenuis, longa, extus fuſca, intus alba, farinoſa, ſubdulcis.

Scorzoneræ lati foliæ, extus flava, intus alba, farinoſa, ſubdulcis.

Spicæ Celticæ, alpinæ, Valerianæ Celticæ, ſunt radices cum foliis aba-

to-

to-oblongis, obtusis, integerrimis. Color fuscus, odor armaticus, sapor amarus.

Indicæ, nardi, graminis cyperoidis aromatici Indici, spica incurva, ciliata structura fibrosa, color fuscus, sapor, amarus & aromaticus. Florum nomine utraque vulgo venit.

Squillæ, scillæ, alba vel subrubra, bulbosa, amara, taraxaci, extus fusca, intus alba, subamara.

Tormentillæ, nodosa, extus obscure, intus dilute, fusca, adstringens.

Turpethi, lignosa, extus obscure fusca, intus pallida, subacris.

Valeriane majoris, fibrosa, fusca, ex acri amarescens, minoris, fibrosa, extus fusca, intus alba, sub acris aromatica.

Vincetoxici, hirundinariæ, fibrosa, extus subflava, intus alba dulcis.

Zedoariæ, tuberosa, cinerea, ex acri amaricans, fragrans.

Zingiberis albi, nodosa, pallida, acris aromatica, non carriosa sit.

nigri, ejusdem plantæ radix, infusione cum aqua fervida ita immutata.

§. CXLV.

§. CXLV.

Herbæ.

Herbæ genuinæ, juſto tempore lectæ, rite ſiccatæ, & mundæ, nec vetuſtate inertes, aliove modo corruptæ, ſint.

Herba abrotani, anguſti folii, chamæcy pariſſi vel ſantolinæ, pedunculis unifloris, foliis quadrifariam dentatis. Recens citrumolet, ſapor ex amaro acris eſt.

* Abſinthii Pontici, artemiſiæ foliis multipartitis, ſubtus tomentoſis, floribus ſubrotundis nutantibus, receptaculo nudo. Sapor amarus.

Vulgaris, artemiſiæ, foliis compoſitis, multi, fidis, floribus ſubgloboſis, pendulis, receptaculo pappolo. Sapor peramarus.

* Acetoſæ, rumicis, floribus hermaphroditicis, foliis haſtatis.

* Acetoſellæ, oxalis, ſcapo unifloro, foliis ternatis.

Adianthi albi, rutæ murariæ, aſplenii, frondibus alternatim decompoſitis, foliolis cunei formibus, crenulatis. Sapor amareſcens.

nigri veri, capilli Veneris, aſplenii, frondibus ſubtripinnatis,

natis, foliolis alternis, pinnis lanceolatis. Sapor subdulcis. Inter V. herbas capillares refertur.

Agerati, cupatorii Mesues, achilleæ, foliis lanceolatis, obtusis, acute ferratis. Sapor amarus est.

Agrimoniæ, foliis caulinis pinnatis, empari petiolato, fructibus hispidis. Sapor ex subamaro adstringens.

Alceæ, foliis sinuato angulosis.

Alchimillæ, majoris, foliis lobatis. Sapor subamarus atque adstringens.

Althææ, bismalvæ, hibisci, foliis simplicibus tomentosis. Herbis V. mollientibus accensetur.

Anagallidis, foliis indivisis, floribus puniceis. Sapor ex amaro acris.

Anethi hortensis, graveolentis, seminibus compressis.

Aristolochiæ longæ, foliis cordato oblongis, undatis, caulæ infirmo, floribus solitariis. Sapor peramarus, nauseosus.

Arnicæ, veræ, ptarmicæ montanæ, doronici plantaginis folio, foliis caulinis oppositis.

Artemisiæ, caule purpurascente, foliis pinnati fidis, planis, laciniatis, floribus erectis.

Asari, foliis petiolatis, subcordatis, floribus trifidis. Sapor amarus.

* Basilici, ocymi vulgatioris cirrati, foliis ovatis, glabris, calycibus ciliatis. Sapor acris, odor aromaticus.

Betonicæ, spica interrupta, corollarum lacinia labii intermedia emarginata. Sapor subacris.

* Borraginis, foliis omnibus alternis, calycibus patentibus.

* Botryos Mexicanæ, ambrosioidis, chenopodii, foliis oblongis, sinuatis, racemis nudis, multi fidis. Odor suavis, sapor amarus.

Brancæ ursinæ, acanthidis, foliis sinuatis inermibus. Subacris est & viridi colore spiritum vini tingit.

Cardui benedicti, centaureæ, calycibus duplicato spinosis, lanatis involucratis, foliis semi decurrentibus, denticulato-spinosis. Sapor amarus.

Centaurii minoris, gentianæ, corollis quinque fidis, Hypocrateriformibus, calycibus membranaceo carinatis, caule dichotomo foliis cordatis. Sapor amarus.

Chærefolii, scandicicis, seminibus nitidis ovato-subulatis, umbellis sessilibus, lateralibus. Odor balsamicus, sapor ex subacri aromaticus.

Cha-

Chamædryos, teucrii, foliis cunei formi ovatis, incisis, crenatis, petiolatis, floribus subverticillatis, ternis, petiolatis. Sapor ex amaro ad stringens.

Chamæpytios, ivæ artheticæ, teucrii, foliis trifidis, linearibus integerrimis, floribus sessilibus, lateralibus solitariis, caule diffuso. Sapor amarus, recentis odor terebinthinæ æmulus.

Chelidonii majoris, pedunculis multi floris. Sapor ex acri subamarus & adstringens.

minoris, ranunculi, foliis cordatis, angulatis, petiolatis.

Cicutæ majoris, aquaticæ maculatæ Gesneri, conii maculati, seminibus striatis. Recentis odor cantharidum odori similis, siccæ sapor sub acris.

* Cochleariæ foliis radicalibus subrotundis, caulinis oblongis, subsinuatis.

* Consolidæ majoris, symphyti, foliis ovato - lanceolato - decurrentibus. Sapor mucilaginosus.

* Saracenicæ, virgæ aureæ angusti foleæ, minus serratæ, solidaginis caule erecto, racemis alternis erectis. Sapor acris & adstringens.

* Cy-

* Cynogloſi, foliis lanceolato, ovatis, tomentoſis, corollis calycem æquantibus. Recentis odor quodammodo narcoticus eſt.

* Dictamni Cretici veri, crigani foliis tomentoſis, ſpicis nutantibus odor & ſapor aromatici ſunt.

* Ebuli, ſambuci, cymis trifidis, ſtipulis foliaceis, caule herbaceo. Recentis odor gravis.

Eryſimi, ſiliquis ſpicæ adpreſſis, foliis runcinatis. Siccæ odor ingratus, ſapor nullus, recentis autem acris.

Euphraſiæ flore albo, foliis ovatis, linearibus, argute dentatis.

Farfaræ, tuſſilaginis, ſcapo imbricato unifloro, foliis ſubcordatis, angulatis denticulatis.

Fœniculi, anethi, ſeminibus ovatis.

Fummariæ, pericarpiis monoſpermis, racemoſis, caule diffuſo. Sapor ex ſubacri amarus.

* Galegæ, rutæ caprariæ, leguminibus ſtrictis, erectis, foliolis lanceolatis, ſtrictis, nudis. Sapor dulcis.

* Geranii Robertiani, pedunculis biforis, foliis quinque trive partitis, lobis pinnatifidis, calycibus hirſutis. Recens fœtet.

* Ga-

Gratiolæ, digitalis minimæ, floribus pedunculatis, servatis. Sapor ex acri amarus, nauseosus,

Hederæ terrestris, glaucomatis foliis reniformibus, crenatis. Siccæ sapor ingratus.

Hepaticæ nobilis, anemones foliis trilobis, integerrimis. Sapore & odore caret.

stellatæ, matrisylvæ, asperulæ foliis octonis, lanceolatis, floribus fasciculatis, pedunculatis. Odor suavis, sapor subamarus. Huic alias galii speciesv.c quaticum, mollunginem &c. male substituunt.

Herniariæ glabræ herbaceæ, millegranæ. Recentis sapor subsalsus.

Hyssopi, spicis secundis. Recentis sapor & odor aromaticus.

Levistici, liguslici, foliis multiplicibus, foliolis superne incisis. Apium quodamodo sapit. Odor aromaticus.

Linariæ vulgaris, flore luteo, antirrhini, foliis lanceolato-linearibus, confertis, caule erecto, spicis terminalibus sessilibus, floribus imbricatis.

Lupuli salicarii, humuli.

Majoranæ, origani, foliis ovatis, obtusis, spicis confertis, compactis pubescentibus. Recentis sapor acris, odor aromaticus.

Malvæ vulgaris, caule procumbente, foliis cordato - orbicularibus, obsolete quinquelobis. Sapor mucilaginosus.

* Mari veri, Syriaci, teucrii, folis ovatis, utrinque acutis, integrrimis. Recentis oder fragantissimus, sapor acris.

Marrubii albi, denticulis calycinis setaceis, uncinatis. Sapor amarescens.

Meliloti vulgaris, trifolii, floribus racemosis, leguminibus nudis, dispermis, caule erecto. Odor gratus, melleus.

Melissæ hortensis citratæ, floribus ex axillis inferioribus subsessilibus. Citrum olet.

Menthæ crispæ, floribus spicatis, foliis cordato dentatis, undulatis, sessilibus. Odor aromaticus, sapor ex acri amarus.

Mercurialis, caule brachiato, foliis glabris. Mucilaginosa est, & V. herbis emollientibus annumeratur.

Millefolii, achillieæ, foliis duplicato-pinnatis, glabris, laciniis linearibus, acute laciniatis.

Nicotianæ, hyoscyami Peruviani; foliis lanceolatis. Odor quodammodo narcoticus, sapor acris & nauseosus.

Ori-

Origani Cretici (vulgo Spanischer Hopfen) spicis aggregatis longis, prismaticis, rectis, bracteis membranaceis calyce duplo longioribus. Sapor ex acri amarus, odor aromaticus.

— — vulgaris, sylvestris, spicis subrotundis, paniculatis, glomeratis, bracteis calyce longioribus, ovatis.

* Oreoselini, athamantæ foliolis divaricatis, selini pinnis ad angulos obtusos pinnatis, pinnulis incisis, non serratis. Sapor ex subacri aromaticus.

Prunellæ, consolidæ minoris, bracteis cordatis.

Pulegii, menthæ, floribus verticillatis, foliis ovatis, obtusis, subcrenatis. Sapor ex acri amarus, odor aromaticus.

Pulmonariæ maculosæ, foliis radicalibus ovato cordatis. Mucilaginosa est, maculas etiam sicca retinet.

Roris marini hortensis, angustiore vel latiore folio. Sapor subamarus, odor aromaticus.

Salviæ, foliis lanceolato-ovatis, integris, crenulatis, floribus spicatis, calycibus acutis. Sapor subamarus, odor aromaticus.

Saniculæ, foliis radicalis simplicibus, floſculis omnibus ſeſſilibus.

Saponariæ maioris, lævis, calycibus monophyllis cylindricis, foliis ovato lanceolatis.

* Satureiæ hortenſis, pedunculis bifloris. Odor fragans, ſapor peracris, aromaticus.

Scabioſæ, corollulis, quandrifidis, corollis radiatis, caule hiſpido.

* Schœnanthi cùm floribus, iunci odorati ſpicati, laguri ſpiculis paniculæ coniugatis, ovatis. Saporem amarum præſtat, atque odorem aromaticum ſpargit. Spica non orbatus ſit.

* Sclareæ, hormini, ſalviæ foliis rugoſis, cordatis, oblongis, villoſis, ſerratis, bracteis floralibus, calyce longionibus, concavis, acuminatis.

Scolopendii vulgaris, linguæ cervinæ, aſplenii frondibus enſiformibus, integris, baſi cordatis, inflexis.

— — linguæ cervinæ veræ, ceterach, aſplenii, frondibus pinnatifidis, lobis alternis confluentibus. Sapor nullus.

Scordii

Scordii noſtratis, teucrii, foliis ovato lanceolatis, ſerrulatis, ſeſſilibus, floribus ſæpe binatis. Odor alliacius, ſapor amarus.

Serpilli vulgaris, thymi floribus capitatis, caulibus decumbentibus, foliis planis, obtuſis, baſi ciliatis. Sapor acris, odor aromaticus.

* Sideritidis, betonicæ verticillatæ, calycibus ſpinoſis. Odor haud ingratus, ſapor nullus.

Tanaceti vulgaris, lutei, foliis pinnatis, pinnis pinnatifidis, ſerratis. Sapor amarus, odor gravis.

Thymi vulgaris, erecti, foliis revolutis, ovatis, floribus verticillato ſpicatis. Sapor ex amaro acris, odor aromaticus.

Trifolii aquatici, fibrini, menyanthæ foliis ternatis. Sapor peramarus.

Verbaſci, foliis vtrinque tomentoſis, decurrentibus.

Verbenæ, ſpicis filiformibus, foliis multifido laciniatis. Sapor ſubamarus, adſtringens.

Veronicæ officinalis, ſpicis lateralibus pedunculatis, foliis oppoſitis, caule procumbente. Sapor amareſcens, odor haud ingratus.

Vincæ pervincæ, foliis ovatis. Sapor amarus, ſubadſtringens.

* Urticæ mortuæ, lamii flore albo, foliis cordatis, acuminatis, petiolatis, verticillis viginti floris.

§. CXLVI.

Flores.

Flores genuini recto tempore collecti, in aëre ſicco cito ſiccati, probe aſſervati, nec vetuſtate corrupti ſint. Vires facile amittentibus officinæ onerandæ non ſunt.

Flores acaciæ, ſapor amareſcens, odor gratus.

Anthos, roris marini, recentes & fragrantes ſint.

Arnicæ veræ, doronici plantaginis folio, ſapore acres, colore ſubflavi.

Aurantiorum, naphæ, odorem amittunt.

Balauſtiorum, granatorum, rubri, adſtringentes.

Bellidum minorum.

Bor-

Borraginis, floribus IV. cordialibus annumerantur, fusci fiunt.

* Buglossæ, ex IV. cordialibus, colorem fere purpureum servant, sapore subacres sunt, his in officinis echii vulgaris flores vulgo substituunt.

Calendulæ, color flavus perdurans, & sapor ex acri amarus est.

* Carthami, cnici subacres, & obscure flavi sunt, salivam colore dilute flavo tingunt.

Centaurii minoris, rubri, amari.

Chamomillæ Romanæ, color albus, sapor ex amaro aromaticus, odor balsamicus.

vulgaris, sublutei, odore grati, sapore amari.

Cheiri, levcoii lutei, odor gratus, sapor ex acri amarescens.

Croci orientalis pistilla, pura, odore fragrante, sapore ex acri amarescente prædita, nec carthami vel granati floribus &c. adulterati sint.

Farfaræ, tussilaginis, color luteus, sapor subacris.

Genistæ, spartii, color ex flavo subviridis, sapor subacris.

Hyperici, ex flavo fusci, & ex amaro adstringentes.

* Liliorum alborum, flavescunt atque odorem perdunt.

* convallium, flavescunt, odore privantur, amarum sapiunt.

Malvæ arboreæ, color purpureus, sapor subacris.

Meliloti, flavi, odore grato.

Millefolii, seu ejus summitates.

* Nymphææ albæ, flavescunt, saporem ex amarescente adstringentem præstant.

Papaveris erratici.

* Persicorum, sapor subdulcis est, color in obscure fuscum mutatur.

* Pœoniæ, color purpureus, sapor ex dulci amarescens.

Primulæ veris, paralyseos, color virideſcit, odor haud ingratus, sapor subdulcis.

* Rosarum albarum.

* pallidarum.

rubrarum.

* Salviæ, color fuscus fit, odor gratus, sapor ex subacri aromaticus est.

Sambuci, color subflavus, odor ingratus, sapor subamarus est.

Saf-

Saſſafras, magni conſtant, colorem & odorem maxima ex parte perdunt.

Scabioſæ, color coeruleus ex parte palleſcit, ſapor ſubacris eſt.

Spicæ Celticæ & Indicæ vide inter radices.

Stœchadis Arabicæ, odor quodammodo aromaticus, ſapor ex acri amareſcens.

Citrinæ, germanicæ, gnaphalii, color flavus, ſapor amareſcens.

Tanaceti, color flavus, ſapor amarus, odor ingratus.

Tiliæ, color ſubflavus, ſapor ſubdulcis, odor gratus.

Tunicæ, color ex parte flaveſcit, odor gratus, ſapor ſubdulcis.

Verbaſci, color in fuſcum mutatur, odor ſuavis, ſapor ex dulci ſubadſtringens.

Violarum, ſapor ſubamarus eſt, colorem atque odorem ſat cito perdunt, niſi in vitris, loco calido probe ſerventur,

Urticæ mortuæ albæ.

§. CXLVII.

Semina.

Semina matura, pura ac probe asservata, nec vetustate rancida sint.

Semen amomi, baccæ rotundæ, pipere paulo majores, ex fusco-nigricantes, sapore atque odore aromatico.

Anethi hortensis, compressum, quasi membranaceum, tribus striis insignitum, colore dilute fusco, sapore aromatico, odore grato.

* Angelicæ sativæ, latum compressum, striatum, & albicans, sapor & odor aromaticus.

Anisi vulgaris, oblonge rotundum, parvum, striatum, subviride, dulce, aromaticum.

stellati, badiani, capsula seminalis stellam sex septemve radiis, tot grana continentibus, exhibet. Color ex fulvo fuscus, sapor aromatico dulcis.

* Apii saltivi, parvum, striatum. Quatuor calidis minoribus accensetur.

* Aquilegiæ, nigrum, parvum, spendens.

Avenæ.

* Bar-

* Bardanæ, oblongum, fuſcum, ſtriis nigris diſtinctum, ſapore amaricante.

* Baſilici, ocymi vulgatioris, parvum, nigricans, mucilaginoſum.

Cannabis ſativæ, parvum, rotundum, cinereum, oleoſum, dulce.

Cardui benedicti, oblongum, teres, ſtriatum, ſcopulam quaſi referens amarum.

Mariæ, oblongum, quodammodo compreſſum, fuſcum, mucilaginoſum, amaricans.

* Carthami, album, oblongum, angulare, dulce. Maturum & ponderoſum ſit.

Carvi, cari, cumini pratenſis. Inter IV. calida majora refertur.

Cicerum rubrorum.

* Citri, peramarum.

Citrulli, extus ex fuſco nigreſcens, intus album, ſubdulce. Ad IV. frigida majora pertinet.

* Cochleariæ, parvum, rotundum ex rubro fuſcum, ex acri amaricans.

Coriandri vulgaris, ſativi, rotundum, ſapor aromaticus.

Cucurbitæ, planum, margine cinctum, album. Inter IV. frigida majora militat.

Cydoniorum, fulva, mucilaginosa.

Cynæ, vel santonici, parvum, fuscum, ex acri amarum.

Cumini Romani, oblongum, striatum, ex flavo spadiceum, cimices redolens.

Dauci Cretici, oblongum, superiore parte acutius, incanum, sapore ex acri aromatico.

Vulgaris, forma & sapore cum Cretico fere convenit.

Erucæ, sinapi hortensis, parvum, rotundum, flavescens, acre.

Fabarum vulgarium albarum.

Fœniculi Cretici, oblongum, striatum, ex cinereo spadiceum ex subacri dulce. Multo oleo dives est, atque a stipidibus purgatum sit.

vulgaris, odor gratus, sapor dulcis. Calidis IV. majoribus accensetur.

Fœnu Græci, parvum, angulosum, durum, flavum, mucilaginosum, sapore atque odore ingratis.

Hordei.

Hyo-

Hyoſcyami albi, parvum, planum, reniforme, pallidum, oleoſum.

Leviſtici, planum, membranaceum, oblongum, ſtriatum, pallidum, amarum, fragrans.

Lini ſativi, oblongum, planum, fuſcum, oleoſum.

Lycopodii, muſci clavati repentis, pulveris inſtar perparvum, ſubflavum.

Malvæ, ſemilunare, fuſcum, mucilaginoſum.

Melonum, cucumeris ſemine craſſius atque pulpoſius. Ad frigida IV. maj. pertinet.

Milii ſolis, lithospermi Cretici maj. rotundum, album.

Napi ſativi, parvum, rotundum, ex rubro nigrum, ex acri amaricans.

Nigellæ, cumini nigri, anguloſum, rugoſum, nigrum, acre.

Oryzæ.

Papaveris albi, parvum, oleoſum, dulce.

Petroſelini, parvum, oblongum, ſtriatum, ex ſubacri amarum

Poeoniæ, rotundum, piſiforme, ſubdulce.

Pſy-

Pſyllii, puliciforme, fuſcum, mucilaginoſum, ſubacre.

* Rutæ, parvum, reniforme, nigrum, ſubacre.

Sabadilli, oblongum, nigreſcens, ſapor ex amaro acerrimus.

Staphidis agriæ, triangulare, aſperum, ex nigro griſeum, acre, odore ingrato.

* Tanaceti, ex fuſco flaveſcens, ſapor ex amaro aromaticus.

* Violarum, rotundum, albicans, oleoſum, ſubacre.

* Urticæ Romanæ, fuſcum, oleoſum, ſubacre.

§. CXLVIII.

Ligna.

Lignum aloës, agallochum. Odor fragrans, ſapor ex ſubacri amarus. Verum, ob pretium exorbitans, raro, ſi umquam, ad nos affertur.

Guaiaci, ſanctum, ponderoſum, reſinoſum & nigricans ſit. Saporem ex acri amarum præſtat, gratum odorem ſpargit.

Juniperi.

* Nephriticum, fuſcum, durum, grave, atque ex acri amaricans eſt.

Va-

Variis coloribus tinctura ejus aquosa ludit.

Quassiæ; radix ejus lignosa extus fusca, intus alba, sapore amarissimo prædita est.

Rhodium, fuscum, grave. Sapor ejus ex acri amaricans, & odor suavis est.

Santali albi, pars ligni exterior est. Sapor ex subamaro aromaticus, odor gratus; uterque tamen citrino debilior.

citrini, reliquis præstantior. Sapor subamarus, odor fragrans est.

rubri, pars ligni interior, dura & gravis est. Integri color saturate ruber, comminuti, ab additamento salino, floride ruber.

Sassafras, sapor ex acri subdulcis, odor aromaticus, fœniculi æmulus.

§. CXLIX.

Cortices.

Cortices genuini bene siccati, & conservati sint.

Cortex cascarillæ vel chacarillæ, color fuscus, sapor amarus.

Cas-

Cassiæ caryophyllatæ, canellæ Cubanæ, odor aromaticus, sapor acris, caryophyllorum aromaticorum aemulus.

Ligneae, xylocassiæ, canellæ Malabaricae, sapor mucilaginosus & peracris.

Cinnamomi, canellae Zeylanicae, color ex flavo-rubeus, sapor ex acri subdulcis, odor gratus, aromaticus. Oleo suo essentiali non orbatus sit.

Chinae de China, Peruvianus, tener, cannulatus, subfuscus, & sapore ex amaro subadstringente, non vero crassus, planus & adstringens, sit.

Culilavan, caryophylloidis, color fuscus, sapor ex peracri amarus.

Fraxini, color ex cinereo subviridis, sapor ex acri atque amaro adstringens.

Guajaci ligni, color e cinereo rubeus, sapor ex acri amarescens.

Sassafras ligni, odor aromaticus gratus, sapor ex acri dulcis

